SPECIMEN JURIS PUBLICI INAUGURALE DE HOSPITIO MILITARI, ...

Hugo Zuylen van Nyevelt

SPECIMEN JURIS PUBLICI INAUGARALE

DE

HOSPITIO MILITARI.

SPECIMEN JURIS PUBLICI INAUGURALE

DE

HOSPITIO MILITARI,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HERMANNI BOUMAN,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

HUGO FERDINANDUS VAN ZUYLEN

VAN NYEVELT,

HARLEMENSIS.

A. D. XXVII. M. JUNII A. MDCCCXLIV, HORA III.

Trajecti ad Rhenum

APUD KEMINK & FILIUM, TYPOGR.

MDCCCXLIV.

MATRI OPTIMAE, CARISSIMAE,

ET

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

HUGONI, BARONI VAN ZUYLEN VAN NYEVELT,

TOPARCHAE IN NIEUW-BEYERLAND ET 'S GRAVEN-AMBACHT,

LEONIS BELGICI, UT ET EQUESTRI REGUM FRANCIAE ET HISPANIAE,
NEC NON IMPERATORIS TURCARUM MAXIMO INSIGNI ORNATO,

ORDINIBUS HOLLANDIAE ADSCRIPTO,

REGIS CUBICULARIO,

SACRORUM RELIGIONIS CHRISTIANAE REFORMATAE ADMINISTRO REGIO,

QUONDAM AD SUECIAE ET HISPANIAE REGES LEGATO,

MAGNA DEIN LEGATIONE APUD TURCARUM IMPERATOREM DIFFICILLIMIS
TEMPORIBUS, ANNIS 1827, 1828, 1829 EGREGIE FUNCTO

PATRUO DILECTISSIMO, PATRIS INSTAR COLENDO,

SACRUM.

INTROITUS.

Cum de hospitio militari pauca in medium proferre, ac pro viribus et fontium inopia illustrare, mihi in mente sit, haud supervacuum duxi primum veteres adire scriptores, quasque de meo argumento collegi sententias, breviter memorare.

Nemo certe arctissimum vinculum negabit, quod leges, quibus hodie utimur, cum antiquis constitutionibus conjungit, neque is, qui aliquam juris hodierni partem sibi tractandam sumserit, vetera, inprimis Romana instituta sine magno incommodo negliget; quae antiquorum testimonia eo minus negligenda nobis videbantur, quum jurisconsultus clarissimi nominis Ulricus Huberus hospitium militare » malum Veteribus incognitum" nominare non dubitaverit. Idem Lib. III *de jure civitatis*, Sect. III, Cap. I. §§ 14, 15, 16, de muneribus

patrimonialibus agens, ac de hoc munere excipiendi hospitio milites questus, » origo, ait, hujus mali initio superioris seculi fuit ab Hispanis in Italia, quibus cum stipendia a Regibus suis non solverentur, solutionem sibi ipsis ex hospitiis confecerunt." Quae sententia viri summi quam parum fide historica nitatur, facili negotio demonstrare posse videmur. Ita autem in quaestionem de hospitio militari inquirere statui, ut, quae Veterum de argumento nostro testimonia primo dissertationis capite protulerim, ea lucem aliquam ulteriori opusculi parti sint allatura, ubi de hospitio militari ex hodiernis praeceptis dicere conabor.

CAPUT I.

SECTIO I.

An Graeci scriptores argumenti nostri mentionem faciunt?

Rarissima tantum hospitii militaris vestigia occurrunt apud Graecos; causa in promtu est, ratione habita cum ipsius regionis, tum inprimis temporum ac belli gerendi moris. Nam, ut apud omnes fere antiquas gentes, sic quoque apud Graecos a remotissimis inde temporibus receptum erat, bellum non nisi aestiva aetate gerere; neque serenum Graeciae coelum aliud, quam tentoriorum auxilium flagitare solebat, ad intemperias arcendas.

In regionibus inimicis nullam instituti mentionem fieri, quis est, qui miretur? Cum autem signa movenda essent per sociorum vel civitatis in

bello mediae terras, omnia a mutuo consensu pependisse videntur. 1)

Copiae itinerantes saepe ex urbibus arcebantur, neque sine consensu magistratuum in civium domos recipiebantur: nimirum quum ipsae civitates militum rapinas ac luxuriam, ut videtur, timerent. Testis nobis est Demosthenes, in Oratione de Corona, qui, de auxilio locutus, ab Atheniensibus misso Thebanis, summa laude illorum extollit continentiam, qui, in civium domos recepti, neque personas, neque bona hospitum violassent. 2)

»His igitur ita gestis, ait, invitare vos Thebani, atque accersere coeperunt, exiistis, auxilium tulistis. Atque ut ea, quae in medio posita sunt, praetermittam, ita familiariter ii vos excipiebant, ut, quum

---

1) Cf. A. Böckh, *Staatshaushaltung der Athener*, Tom. I. p. 306.

2) Capite 63. Editionis G. C. Harless, pag. 380. Μετὰ ταῦτα τοίνυν ἐκάλουν ὑμᾶς, καὶ μετεπέμποντο· ἐξῄειτε, ἐβοηθεῖτε. Ἵνα τὰ ἐν μέσῳ παραλείπω, οὕτως οἰκείως ὑμᾶς ἐδέχοντο, ὥστ' ἔξω τῶν ὁπλιτῶν καὶ τῶν ἱππέων ὄντων, εἰς τὰς οἰκίας καὶ τὸ ἄστυ δέχεσθαι τὴν στρατιὰν, ἐπὶ παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ τὰ τιμιώτατα. Καίτοι τρία ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ πᾶσιν ἀνθρώποις ἔδειξαν ἐγκώμια Θηβαῖοι καθ' ὑμῶν τὰ κάλλιστα· ἓν μὲν, ἀνδρείας, ἕτερον δὲ, δικαιοσύνης, τρίτον δὲ, σωφροσύνης.

foris essent gravis armaturae pedites et copiae equestres, vestrum exercitum in urbem atque in tecta reciperent, inter liberos, uxores et supellectilem pretiosissimam. Et illo die Thebani pulcherrima de vobis praeconia omnibus hominibus dicebant, tres praecipue ob causas; ob fortitudinem, justitiam et temperantiam."

Quodsi hospitium militibus fuisset praebitum, omnes expensae ab exercitus duce solvebantur. [1])

A proposito alienum non duco, pauca adjicere de stipendiis militum, quae apud Graecos, magis quam apud alias gentes cum argumento nostro cohaerent: cum pars mercedis, quae militibus praestabatur, ad victum et commeatum sibi parandum esset destinata. De tempore, quo primum militibus stipendium solutum sit, inter se dissentiunt scriptores: cl. Böckh, *op laud.* pag. 292, a Pericle hoc fuisse introductum contendit, loco, ut videtur, nisus Plutarchi, in Pericle, cap. 9, ex quo apparet illum primum Athenienses assuevisse ad *μισθοφορίαν*· quam opinionem rejicit doct. Clarisse, *in* praemio ornata *disquisitione de Pericle,* (Traj. ad Rhenum 1835,) qui existimat » hic sermonem non esse de stipendiis militaribus, ve-

1) Cf. Böckh. op. laud. I. 296.

rum praemia intelligi, civilibus muneribus concessa." [1])

Ut ut est, Cares inter illas gentes recensentur, quae primum pro mercede pugnaverunt, ac propterea viles et mercenarii habiti sunt. [2]) Böckh (op. laud. I. p. 292) Arcades aequiparat Helvetis, in eo secutus acutissimum de Pauw: *Recherches Philosophiques sur les Grecs*, T. I. p. 110: »*Les Arcadiens étaient alors ce que sont de nos jours les Suisses; on ne faisait aucune guerre sans eux, et ils se battaient tellement pour les querelles d'autrui, qu'on les regardait plustôt comme des machines de guerre que comme des soldats.*"

Occurrunt autem stipendia apud Graecos duplici sensu: altera nempe pars (*μισθός*) militibus dabatur pro laboribus ac periculis, quae subibant; altera autem (*σῖτος, σιτηρέσιον,*) ad victum et commeatum erogabatur; nonnunquam in natura praestabatur, saepius autem pecunia numerata consistebat. [3])

---

1) Cf. *Commentatio laud.* 112, 113, 126, 128.

2) Cf. L. Bos, *Antiquitates Graecae*, p. 152.

3) Non semper idem fuit stipendium; pro temporibus mutabatur. Peditis stipendium quotidianum erant quatuor oboli (inde locutio *τετρώβολου βίος*); equitis autem duplum ac triplum.

Ex hisce efficere posse videmur, apud Graecos minime civium fuisse munus, milites in domos suas recipere et alere, nisi justo modo illis satisfieret. E contrario vitae sustentandae curam militibus ipsis fuisse mandatam, memorata stipendii divisio probat.

Praeterea animadversione dignum, in Atheniensium civitate subinde vectigalia extraordinaria, ad belli sive gesti sive gerendi expensas solvendas, in concionibus fuisse decreta, a quorum pensione nemo erat immunis. 1)

Bello Peloponnesiaco stipendia equitum ac peditum ut et maritimarum copiarum duplicata esse legimus a Lysandro, Lacedaemoniorum duce, ut ita Atheniensium (qui ne milites deficerent, idem facere erant coacti) aerarium exhauriretur. 2)

Cf. Böckh. *op. laud.* p. 293. Barthélémy, *Voyage du jeune Anacharsis*, Tom. II. p. 194. (Edition de l'an XII.)

1) Cf. Tittmann, *Darstellung der Griechischen Staatsverfassungen*, pag. 41, 52, 161 sqq.

2) Cf. de Pauw, *op. laud.* II. 222.

SECTIO II.

§ 1.

Testimonia scriptorum de hospitum recipiendorum munere, libera republica Romana.

Urbem conditam firmare, et ab invadentibus hostibus defendere, milites comparare, exercitus armare, fere unicum Romanorum negotium primis Reipublicae saeculis fuit. Tractu temporis, finibusque Romani imperii in diem prolatis, bellorum natura prorsus mutata: non amplius urbs aut Italia ab hostibus defendendae erant; signa in Hispaniam, in Africam translata; innumerae regiones in provinciae formam redactae; aliae amicitiae foedere Romanis junctae. Legationum frequens usus muneri hospitum recipiendorum in provinciis originem dedit, quod institutum deinde legibus Imperatorum excultum, ad milites porrectum est. Sane apud Ciceronem, Action. II. in Verrem Lib. I. c. 25. muneris illius hospitum recipiendorum mentio fit, ubi de Verris legatione ad Regem Nicomedem agens, narrat Rubrium quemdam, hominem impurissimum, ac Verris libidinum socium cum eo venisse Lampsacum. Ibi

Rubrius, jussu Verris, deducitur ad Philodamum, virum honestissimum, cui filia eximia pulchritudine erat. »Quod ubi, ait Cicero, est Philodamo nuntiatum, tametsi non erat ignarus, quantum sibi ac suis jam tum mali constitueretur, tamen ad istum (Verrem) venit; ostendit *munus suum non esse;* se, cum partes suae essent hospitum recipiendorum, tum ipsos tantum praetores et consules, non legatorum asseclas recipere solere."

Haec verba denotant, jam tum in Provinciis munus hospitii mutua vice explendum fuisse; cur enim dicere potuisset Philodamus, munus suum non esse? Ex iis efficere quoque possumus, non omnibus praestitum fuisse hospitium occasione legationis; Philodamus enim legatorum asseclas, comites, recipere recusat. Sed anno demum urbis conditae 579 prima hospitii militaris vestigia recensentur a T. Livio, Lib. XLII cap. I: »Hic (Consul L. Postumius) iratus Praenestinis, quod, cum eo privatus sacrificii in templo Fortunae faciundi causa profectus esset, nihil in se honorifice neque publice, neque privatim, factum a Praenestinis esset, priusquam ab Roma proficisceretur, literis Praeneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi diverteretur, jumentaque, quum exiret inde, praesto essent.

2

Ante hunc Consulem nemo umquam sociis in ulla re oneri aut sumptui fuit: ideo magistratus mulis tabernaculisque et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis; privata hospitia habebant; ea benigne comiterque colebant; domusque eorum Romae hospitibus patebant, apud quos ipsis deverti [1]) mos esset. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciundum erat, imperabant. Injuria consulis, etiamsi justa, non tamen in magistratum exercenda, et silentium, nimis aut modestum, aut timidum Praenestinorum jus, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum."

Quod si priscae reipublicae Romanae scriptores rarissima tantum de hospitum recipiendorum munere testimonia nobis praebuerunt, minime tamen negligendae sunt variae Romanorum constitutiones, ad argumentum nostrum facientes, de quibus pau-

---

1) Vox *devertere* hoc sensu saepe apud scriptores occurrit, ut apud Plautum, in Mil. Act. II Sc. 2. V. 85:

. . . . . et apud te eos hic *devortier*

Dicam hospitio . . . . .

Posteriori tempore idem obtinuisse, testis nobis est Columella, *de Re Rustica* I: 5. » Haec autem (militaris via) assiduis *devertentium* hospitiis infestat rem familiarem."

Cf. quoque Scheller, in voce.

cis absolvendum. Primo loco, ut apud Graecos, memorandum est militum stipendium, cujus initium notavit T. Livius, lib. IV. cap. 52: » Additum deinde omnium maxime tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumve decerneret Senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo [1]) quisque functus eo munere esset." Stipendium erat triplex; pecunia, vestis, et frumentum, quod idem fuisse videtur, quod Latini inferiores dixerunt annonas militares. [2])

Bonum et utile erat hoc institutum, militi semper victum esse, nec inopia cogi ad rapiendum, aut civibus vim molestiamque inferendam. Hoc frumentum publice datum vendere nefas erat, et inter militaria probra recensetur. [3])

Variis modis haec annona militaris erogabatur.

---

1) Cf. T. Livius Lit. V. Cap. 4 ibique verba A. Claudii; » Moleste antea ferebat miles se suo sumtu operam reipublicae praebere, gaudebat item partem anni se agrum suum colere, quaerere, unde domi militiaeque se ac suos tueri posset, gaudet nunc fructui sibi rempublicam esse, et laetus stipendium accipit!"

2) Cf. Justus Lipsius, *De militia Romana*. Lib. V. Dialog. 16. p. 200, 202.

3) De poena militi, ob tale facinus arctissima annona perpetratum, irrogata, videatur Suetonius in *Galba*, cap. VII, ut et J. Lipsius, op. laud. p. 200.

Historici nos docent, Romanis in more fuisse, a populis domitis tributum ad belli impensas resarciendas exigere, quod frumento constabat. [1]) Locutio *frumentum imperare*, *jubere*, saepissime apud Caesarem occurrit.

Pars deinde Italiae erat annonaria: ad quam rei militaris partem illustrandam non parum faciunt verba Trebellii Pollionis, in libro *Triginta Tyrannorum:* »Aurelianus [2]) Tetricum correctorem totius Italiae fecit, id est Campaniae, Samnii, Lucaniae, Brutiorum, Apuliae, Calabriae,

---

1) Cf. Tresling, *Dissertatio Jurid. Polit. de conditione, qua populi sub imperium Romanum reducti, usi sint* p. 16. V. Savigny, *Ueber die Römische Steuerverfassung.* p. 49. *Thémis ou Bibliothèque du jurisconsulte.* 1829. p. 227 sqq. (*Analyse d'une dissertation sur le systéme des impôts chez les Romains.*) *Cod. Justin.* Lib. XII. Tit. 38 sqq.

2) *Historiae Augustae scriptores VI cum notis* Casauboni, Salmasii et Gruteri. *Lugd. Bat.* 1661 p. 781. Ita hac de re scripsit Salmasius: »Dicta tota Italia annonaria regio, ab annonaria functione, quam ad exercitum comitatumque imperatoris alendum conferre consueverat. Hoc igitur differebant annonariae et urbicariae regiones, quod urbicariae utique annonariam functionem praestiterint; at non omnes annonariae etiam urbicariae appellatae. Sciendum urbicariarum nomen, non aliunde peti posse quam ab urbe: (urbicus, urbicarius, urbanus) regiones igitur omnes extra urbem intra centesimum lapidem, quousque urbica jurisdictio ingrediebatur, dictae urbicariae, et suburbicariae. Hinc Picenum annonarium, et urbicarium, Tusciam annonariam et urbicariam appellatam legimus."

Hetruriae, ac Umbriae, Picini et Flaminiae, omnisque annonariae regionis," et eruditissima Salmasii ad illum locum adnotatio.

§ II.

Constitutiones Codicis Theodosiani et Justinianei.

Initium muneris hospitum recipiendorum occasione legationum apud Romanos indicavimus; quomodo tractu temporis hospitium militare (nostra quidem sententia) inde ortum sit, ostendimus, quam conjecturam non omnino esse rejiciendam, ex allatis scriptorum testimoniis patet. Superest, ut Imperatorum constitutiones memoremus, quibus paullatim hoc jus est excultum. Legibus autem opus fuisse, ut nimia militum protervia refringenda, commodo ac securitati civium prospiceretur, inter alios testis nobis est Flavius Vopiscus, in *Vita Imperatoris Aureliani*, cap. VII [1]), qui in diem crescentes rapinas, et hospitio receptorum libidines omnis generis repressit, ac severissime militem punivit, qui cum hos-

1) *Historiae Augustae.* p. 837 sqq.

pitis uxore adulterium commiserat. Epistolam hac de re ab imperatore ad vicarium suum scriptam hic inserere non supervacuum videtur: » Si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat. Uvam nullus auferat, segetem nemo deterat; oleum, sal, lignum, nemo exigat: annona sua contentus sit. De praeda hostis, non de lacrymis provincialium, habeat, arma tersa sint; ferramenta samiata, calceamenta fortia. Vestis nova vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem et annulum apponat: equum sagmarium suum defricet, capitum animalis non vendat, mulum centuriatum communiter curet. Alter alteri quasi servus obsequatur: a medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent; in hospitiis caste se agant; qui litem fecerit, vapulet."

Codex praesertim Theodosianus 1) magna hac in re nobis est auctoritas. Nam ut omittam generaliter dictum, Lib. I. Tit. VII, ubi de cura agitur magistri militum 2) » quoties aliqua necessitas de-

---

1) Secutus sum editionem Haenelianam. *Bonnae* 1839.

2) Cf. Guizot, *Eclaircissements et Tableaux Historiques.* p. 158. Voce: primicerius mensorum.

poposcerit transferri de loco milites ad alium locum, ut transferantur ad ea loca, quae publica auctoritas depoposcerit," aureus exstat locus in Lib. VII Tit. 8 *de metatis.* 1)

In hoc titulo agitur 2) de hospitio, ac de hospitalitatis munere praebendo; id est, de officio, variis legibus cum extenso, tum restricto, in domos privatas recipiendi homines, qualibet 3) ex causa itinerantes, per quodcunque temporis spatium eodem loco commorantes.

Legislatorem hocce hospitii officium incommodum putasse, satis liquet ex verbis, quibus usus est: » omnis molestia hospitum, inquietudo, in-

---

1) De ipsa voce legatur Leyser *Meditationes ad Pandectas*, Tom. XII: ibique memorata G: Graevii dissertatio *de metatis*, pag. 511. » Est autem *metatum* a *metari*, et hoc a *meta*, id est signum, quo mensores ad agros et spatia dimetienda utuntur. Usu increbuit, ut metata partim pro spatiis in castris ad ponenda tentoria reputentur, partim pro hospitiis quae militibus adversus hostem euntibus, aut ab eo redeuntibus, partim pro hospitiis, quae principibus et eorum comitibus, vel legatis a provincialibus debentur."

2) Non integer, sed magna ex parte hic titulus susceptus est in Codicem Justinianeum lib. XII, tit. 41 *de metatis et epidemeticis.*

3) Nam in nostro titulo non de solis agitur militibus belli causa itinerantibus, quamquam metatorum officium, procul dubio mere militare fuit.

fausta hospitalitatis praebitio," [1]) ut et voces » liberare, se excusare," quae nonnisi cum oneris seu vectigalis alicujus sermo est, usurpari posse videntur.

Cum ex hoc titulo variae profluant constitutiones, ad argumentum nostrum facientes, brevis ejus analysis supervacua non videtur. Constat ex variis scriptoribus (ut Vegetio, Constantino Porphyrogeneta, aliisque) fuisse in Romanis exercitibus, qui copias praecederent, et in urbibus aut oppidis domos notarent, in quibus militibus hospitium praeberetur. [2])

Vegetius distinguit quoque metatores: » hos, inquit, qui in castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant, vel hospitia in civitatibus praestant; [3]) illos, qui praecedentes

1) Vox *hospitatura*, pro hospitum suscipiendorum cura et munere injuncto, occurrit in l. 18 § 19 D: *de muner et hon.* Cf. Dukerus, *de Latinitate Jurisconsultornm veterum* p. 430. Exstat dissertatio de hospitatura (von Gastgeberey) memorata a Struvio, *Bibliotheca juris selecta*, p. 440.

2) Cf. Vegetius, Lib. II. cap. VII. Graevius, *Thesaurus Antiq. Rom.* T. VII. p. 1472, 1505.

J. Lipsius, *de militia Romana.* Lib. V. Dial. 12. p. 184 sqq.

3) Tractu temporis significatio vocis *mensoris* mutata videtur; nam in lege ultima Cod. *de divers. officiis* inter eos vocantur, qui in Principis palatio alio, et, ut videtur, servili officio fungebantur.

locum eligunt castris. Plerumque tamen promiscue metatores et mensores vocantur, qui ante exercitum vias complanabant, hospitiaque praeparabant. 1)

Jam metatores, exercitum praeeuntes, domum, in quam milites essent recipiendi, notabant, signo quodam postibus adfixo; (nomen militis fuisse videtur) hanc notam delentes, falsi rei habebantur. 2) Quod ad privatorum domus attinet, imperator domino concedit facultatem domum propriam in tres dividendi partes, quarum primam sibi retinere, prout elegisset, posset: secunda hospiti, tertia denuo domino erat tribuenda. 3)

---

1) Mensoribus ac metatoribus adnumerandi quoque sunt Tesserarii, id est, qui tesseram militibus nuntiabant. Tessera quoque significat chartam, frumentum aut victum militi praestandum indicantem. Cf. Rosinus Antiq. Rom. cum notis Dempsteri, p. 726, 728.

2) L. 4. Cod. Theod. de metatis: »Si quis mensorum nostrorum manum, qua deputatas singulis quibusque domos enotant, et postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitaverit, ad instar falsi reus ex hac auctoritate teneatur."

3) L. 5. Cod.: »In qualibet urbe vel nos ipsi fuerimus, vel hi, qui nobis militant, commorentur, omni tam mensorum quam etiam hospitum iniquitate summota, duas dominus propriae domus, tertia hospiti deputata, eatenus intrepidus ac securus possideat portiones, ut, in tres domo divisa partes, primam eligendi dominus habeat facultatem, secundam hospes, quam voluerit, exsequatur, tertia domino relinquenda. Plenum enim

Cum vir illustris recipiendus erat, non tertia sed dimidia pars domus hospiti concedebatur; domino tamen partis optio semper competebat. 1) Imperator Justiniann quaedam hac in re mutavit, et Novella CXXX jussit dominum minime turbari, quod ad domus partem quam habitare soleret; (authentica habitatio) in aliis quoque domus partibus miles sine ulla domini molestia esse debebat. 2)

Tota haec novella de hospitio militari, animadversione dignissima; nam eaedem fere sanctiones, de casu, » quo transitus fieret judicum et exercituum imperialium" (cap. I) nobis obviae sunt in Capitularibus Caroli Magni, ubi hic Imperator li-

---

aequitate atque justitia est, ut qui aut successione fruitur, aut empto, vel exstructione gaudet, electam praecipue judicio suam rem teneat et relictam."

1) L. 5. § 2. cod: » Illustribus sane viris non tertiam partem domus, sed mediam hospitalitatis gratia deputari decernimus, ea duntaxat conditione servata, ut alter ex his quilibet, quive maluerit, divisionem arbitrii aequitate faciat, alter eligendi habeat optionem."

2) Novella CXXX cap. 9: » Ut autem non occasione metatorum dominationis injurietur nostrorum collatorum libertas, jubemus nulli licere nostrorum militum in authenticas habitationes, in quibus domini domuum inveniuntur manentes, accipere sibi metata, sed illas quidem sine molestia servare propriis dominis, accipere autem milites in aliis diaetis metata."

bidines refringit cum militum, tum imprimis judicum itinerantium, qui nomine ***missorum dominicorum*** innotuerunt. Haec Novella quoque constitutiones continet de expensis, hospitii militaris causa factis, de quibus ceterae, quas exploravimus, leges plane silent. Praecipua igitur capita hic inserere, a proposito nou alienum ducimus.

Cap. I. » Jubemus igitur, quoties transitus fit nostrorum judicum et exercituum, delegatores simul esse cum eis, qui curam habeant eorum alimenti, et singularum provinciarum judices, per quas transitus fit, praeparationem facere expensarum, ut nostri exercitus in unamquamque provinciam adscendentes, inculpabiliter conversentur, et uniuscujusque numeri optiones suscipere species sine qualibet tergiversatione, et erogare magistris militum, et militibus in specie praebitas annonas: habere autem eosdem optiones deputatam ipsis occasione emolumenti quintam decimam portionem. Jubemus, quae a collatoribus expenduntur, periculo judicum et tribunorum, recauta fieri, et nullo modo gratis expendere milites a collatoribus, aut occasione non factae forsan praeparationis, aut ***introitorum*** nomine, ut undique illaesi et indemnes custodiantur nostri subjecti."

Cap. III. » Eam vero, quae fit a nostris possessoribus expensam, et declaratur per recauta, jubemus reputari eis a sede tuae celsitudinis, sine qualibet tergiversatione, aut damno, aut injunctione in collationem eam, quam ab eis fiscus capit pro indictione illa, in qua expensa fit.

Si vero amplius quam professiones sunt, ab his, qui dant species, inveniantur expensae, jubemus ex omni corpore fiscalium ejusdem provinciae compleri eos, qui ultra sanctiones suas exhibuerunt. Si vero non habeat ipsa provincia sufficientia ad expensam factam, compleri eos, qui hanc expensam fecerunt ex generali mensa, quae regitur a tua gloria, aut eos haec retinere ex iis, quae inferenda sunt."

Cap. IV. » Hoc quoque jubemus servari, nullum judicum aut militum occasione transitus, aut a civitatibus, aut praediis in minimo aliquid accipere. 1) Si autem inventus fuerit quis pro transitu annonam accipere, jubemus tale aliquid agentem exigi duplum totum, quod accipere pro hoc praesumserit."

Attamen hoc hospitii munus non erat generale; excusationes quaedam ac immunitates in nostro

1) Cf. l. 6. §§ 3, 5, C. D. de officio Praesidis.

titulo ac passim inveniuntur, quarum hae principuae sunt:

Praedia publica, ac privatae imperatorum domus ab omni inquietudine liberae erant. 1)

Ergasteria. 2)

Synagogae Judaicae legis. 3)

Praetoria ordinariorum judicum. 4)

Domus Fabricensium. 5)

Advocatorum. 6)

Militum et liberalium artium Professorum. 7)

Ceterum in lege 10 Cod. Just. de metatis, aliae qnoque enumerantur personae, ab hoc hospitii praebendi munere liberatae: sic comites domesticorum, protectorum, et sacrarum largitionum, viri spectabiles, primicerii notariorum, sin-

1) L. 10 § 1. Cod. Th. de metatis, juncta L. 7 et 9.

2) L. 5 § 1. »Ergasteria, quae mercimoniis deputantur, ad praedictae divisionis injuriam non vocentur, sed quieta sint et libera, et ab omnibus hospitantium injuria defensata, solis dominis conductoribusque deserviant."

3) L. 2. »In synagogam Judaicae legis hospitia velut merito irruentes jubeas emigrare, quos privatorum domus, non religionum loca habitationum merito convenit attinere."

4) L. 6. »Cunctos judices scire volumus, a praetoriis ordinariorum judicum, his praesentibus, abstinendum."

5) L. 8. »A fabricensium domibus omnem molestiam hospitum praecipimus amoveri."

6) L. 5. § 2. Cod. de advocatis divers. judic.

7) L. 10. § 2. D. de vacat. et excusat. muner.

gulas domus ab hospitibus securas habebant, dum in vivis erant. Post fata autem heredes unius domus partem mediam excusatam retinebant; residuae autem partis dimidiae tertia portio hospitibus erat deputanda. 1)

Eodem fere modo constitutum de Praefectoriis, magistris officiorum ac quaestoribus, uti de iis, qui consularem ac patriciam dignitatem meruerant. 2)

Ex hac inprimis lege apparet, hospitii immunitatem, privilegii instar non domui vel aedificio, sed ipsi personae concessam esse, ob dignitatem aut munera quibus fungeretur; quae persona cum diem obiisset supremum, pro parte ejus privilegium ad heredes transire solebat. 3)

---

1) L. 10. Cod. Just. L. 16. Cod. Theod.

2) L. 10. Cod. Just. L. 3. Cod. Theod.

3) Hospitum recipiendorum munus non personae, sed patrimonii onus esse, affirmatur in L. 3. § 14. D. de muneribus et honoribus.

Cf. quoque L. 3. Cod. de muner. patrim: »qui immunitatem munerum publicorum consecuti sunt, onera patrimoniorum sustinere debent, in quibus causis et hospites recipiendi sunt."

L. 3. § 13. D. de mun. et hor. »Eos milites, quibus supervenientibus hospitia praebere in civitate oportet, per vices ab omnibus, quos id munus contingit, suscipi oportet."

L. 18. § 29. eod. »Sive autem personalium duntaxat, sive etiam civilium munerum immunitas alicui conceditur, neque ab anno-

Haec, quoad merum hospitium; sunt et leges, quae aliis quoque modis cives a militibus vexatos fuisse satis demonstrant; nam ab hospitium praebentibus, annonae instar pecuniam quamdam accipere solebant milites, cui quidem rei prospexit imperator Justinianus in cap. 4 nov. CXXX.

Cum autem transeundum esset per urbem, aut per brevissimum temporis spatium eodem loco commorandum, a provincialibus item exigebatur quaedam pecuniae summa, *coenaticum* dicta. 1)

A civibus quoque oleum, lignum, culcitas, imo balnea, 2) exigere solebant milites, de quo abusu loquitur Imperator in tit. IX lib. VII Cod. Theod. *de salgamo hospitibus non praebendo.* 3)

Ex allatis legibus satis, ut nobis videtur, constat, Romanis argumentum nostrum minime fuisse ignotum; habemus enim metatores hospitii prae-

---

na, neque ab angariis, neque a veredo, neque ab hospite recipiendo, neque a nave, neque capitatione, exceptis militibus et veteranis excusari possunt."

1) Cf. l. III. Cod. de erogatione militaris annonae.

2) L. 6. Cod. de metatis et epidemeticis.

3) L. 10 § 2. Cod. Th. » Solam sane hospitalitatem sub hac observatione concedimus, ut nihil ab hospite, quod vel hominum, vel animalium pastui necessarium creditur, postuletur, omniumque sit acceleratum iter ac continuum, nec ulli liceat residere, ne diuturnitas commanentium ulla ex parte praedium vexet."

parandi munere fungentes; indicantur rationes, ob quas excusari poterant cives; modus, quo milites essent recipiendi, quidque iis praestandum esset, vel denegari posset; sanctiones de expensis solvendis; imo tota circa nostrum argumentum definita jurisdictio. Leges igitur, quibus hodie utimur, hac in re, ut in multis aliis ex Romanis institutis originem repetunt; quae cum ita sint, non possumus non facere cum viro consultissimo, institutorum cum avitorum, tum recentioris aevi investigatore sagacissimo Raepsaet, ubi ait: »*En parcourant ces lois relatives à la police et à l'administration Romaines, dont si peu de jurisconsultes s'occupent, et que la plupart n'ont jamais lues, l'on doit se convaincre que les juges et les administrateurs trouveraient de bien bons principes pour vider maintes difficultés, qui les embarrassent tous les jours, et les jettent dans l'arbitraire, faute de connaître les principes de cette législation.*" 1)

1) *Analyse Historique et Critique de l'origine et des progrès des Droits civils des Belges et Gaulois.* Tom. I. pag. 133.

CAPUT II.

Superiori capite Veterum, inprimis Romanorum, attulimus de munere recipiendi hospitis constitutiones, quae omnes fere ad illam periodum pertinent, qua Romanum imperium, undique a barbaris gentibus petitum, antiquo robore prorsus destituebatur. Regni sedes Byzantium translata erat; veteris gloriae non nisi vanum manebat nomen; luxuria, morum lascivia, omnium regnandi cupidorum venalitate, labefactum imperium corruit; nulla legum vis, nullus juris honor.

Ea hospitii militaris est natura, ut constitutiones, ad hocce munus definiendum latae, vix cogitari queant, nisi in civitate, ubi leges a summo Imperante observentur; neque igitur est, quod miremur, hujus aetatis scriptores de argumento nostro tacere, frustraque ejus vestigia quaeri per integrum

fere annorum spatium, quod Caroli magni seculum praecedit. Hic imperator primus fuit, cujus magnum ingenium et amor, quo flagrabat subditorum, regni vigorem aliquantum firmarent, ac legibus constitutionibusque qualemcumque libertatem civibus restituerent.

Quum jam in Caroli instituta de hospitis recipiendi munere accuratius inquirere velimus, ante omnia monendum videtur, mores veterum Germanorum et Francorum magnam vim in leges hujus aevi efformandas habuisse. Jus deinde Romanum minime negligendum est, e quo, saltem ex parte, leges Regum Francorum sunt conflatae. Constat enim, non levem Caroli tempore auctoritatem Codicis Theodosiani fuisse, quem cum Aniani Breviario et lege Salica, unicum fere jus scriptum istius periodi plures, iique gravissimi auctores statuunt. 1)

---

1) Cf. Montesquieu. *Esprit des Lois.* XXVIII. c. 4. Van de Spiegel, *Verhandeling over den Oorsprong en de Historie der Vaderlandsche Regten.* p. 73, 77, 78.

Spiegelius contendit corpus juris Justinianeum Caroli tempore ignotum fuisse. Magnam in Belgio quoque auctoritatem Capitularibus tribuit, et putat proavos nostros illis usos fuisse a Caroli inde aetate, ac per priorem periodi partem, qua Comitum imperio hae regiones gubernabantur. (pag. 65.) A qua opinione, continuo fere ut a viro summo fuit proposita, dissensit Con-

A.

Praeter elementum illud Romanum, inprimis, ut jam diximus, habenda est ratio morum Germanicorum. Jam autem novimus, hospitalitatem inter primas veterum Germanorum virtutes celebrari. Tacitum audiamus: » Convictibus, ait, et hospitiis non alia gens effusius indulget; quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit; quum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes: proximam domum non invitati adeunt, nec interest, pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitis, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit concedere moris; et poscendi invicem eadem facilitas. Gau-

---

sultissimus Barels: *Aanmerkingen over het zoogenaemd enkel en dubbel Verband. Amst.* 1772. p. 36 sqq. (*» wiens Verhandeling over den Oorsprong der Vaderlandsche regten, mij eerst onder het schrijven dezer is ter hand gekomen.*")

Opinatur Barels Capitularium auctoritatem exolevisse Caroli stirpe exstincta, et Conrado, Franconiae comite, Germaniae Rege electo. (Vid. Brunquell, Hist. Jur. P. IV. cap. 4. § 1.) Cum viro consultissimo Barels facit quoque de Vries: *Diss. Jur. Inaug. Historia introducti in Provincias, quas deinceps Respublica Belgii uniti comprehendit, juris Romani.* Lugd. Bat. 1839. p. 16. Ceterum Spiegelii opinio de jure Justinianeo rejicitur etiam a cl. von Savigny, *Geschichte des Römischen Rechts.* p. 123. Videatur quoque hac de re Lantsheer, Diss. Hist. Polit. In. *de Rebus a L. P. van de Spiegel in Zelandia gestis et scriptis.* Traj. ad Rhen. 1843. p. 33 sqq.

dent muneribus; sed nec data imputant, nec acceptis obligantur: victus inter hospites comis." 1)

Eadem in hospitibus suscipiendis benevolentia apud Burgundiones aliasque gentes diu mansit; leges ibi peregrinis et advenis maxime favebant; severe quoque animadvertebatur in delicta, in hospitem admissa. 2)

Institutis Caroli Magni de re bellica cognoscendis inservit praecipue collectio legum, quae venit nomine *Capitularium Regum Francorum et Germanorum.* Regiminis quoque forma optime ex illo juris fonte cernitur. 3)

---

1) Germaniae Cap. XXI.

2) Cf. Meyer, *Esprit, Origine et Progrès des Institutions judiciaires.* Tom. I. p. 37 sqq. 137, 139. Legendus inprimis vir acutissimus, ubi a Tacito, Germanorum laudes extollente, dissentit. »*On a toujours soupconné cet historien*, inquit, *d'avoir exageré ce qu'il avait trouvé de louable dans les moeurs des Germains, pour le faire contraster avec les usages des Romains de son temps, et leur servir de reproche.*" *p.* 37.

3) De voce *Capitulare*, ejusque origine, vid. v. d. Spiegel, op laud. p. 63, qui vocem peculiari ratione et conjectura explicat: »*Dewijl de capitularia gemaakt werden in een vergadering van de voornaamsten des Rijks, bijzonderlijk daartoe bijeengeroepen, hebben de monnikken, die gemeenlijk de besluiten in geschrifte stelden, de vergadering, gelijk bij hen gebruikelijk was,* capitulum, *en hetgeen daar besloten was,* capitulare *genoemd.*"
Cf. Lantsheer, Diss. laud. p. 31.

§ 1.

Quomodo, Carolo Magno regnante, copiae instruebantur? qui, et quomodo selecti, ad servitium militare praestandum erant adstricti?

Constat, tempore Caroli Magni nullos fuisse statos exercitus, qui ad periodum multo recentiorem pertinent; quibus deficientibus, norma tamen adesse debebat, secundum quam militum essent habendi delectus, cum ad regnum firmandum, et a barbararum gentium invasionibus tuendum, tum inprimis ad perpetuas Saxonum, pristinae libertatis amantium seditiones coercendas.

Igitur bello orto, et solemni facta indictione, omnis homo liber arma suscipere cogebatur ex *heribanno*, quod institutum promiscue vocibus heribanno, *heerban*, *herefahrt*, *heervaart* significatur. Nec tamen perpetuo eandem omnino rem indicat; contra hoc nomine veniunt *a.* exercitus, tali modo compositus; *b.* ipsum officium, munus, vel juramentum, quo homines ad militare servitium praestandum cogebantur; *c.* mulcta, seu compositio, quae, contemto heribanno, erat solvenda. 1)

---

1) Cf. Meyer, op. laud. pag. 58 sqq.

Erat vero heribannus duplex; vel bellum erat defensivum quod dicitur, ad provinciae fines protegendos, vel bellum extra regni terminos gerendum erat. Veniebant ad generale placitum potentiores et ditiores, *per se* (id est, propriis facultatibus) ad bellum idonei, aut sumtibus alienis. (*conjectu.*) 1)

Ratio semper habebatur ***status*** (seu conditionis) et bonorum; qua de re inprimis consulenda sunt Capitulare *de exercitu promovendo;* 2) alterum anni 807, duo anni 811, et pars Capitularis anni 813, 3) in quibus ita fere praecipitur:

I. » Omnis liber homo, qui *quatuor mansos* vestitos de proprio suo sive de alicujus beneficio habet, ipse se praeparet, et in hostem pergat."

II. » Qui vero ***tres mansos*** de proprio habuerit, huic adjungatur unus, qui unum mansum habeat, et det illi adjutorium, ut ille pro ambobus ire possit."

---

1) Eichhorn, *Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte.* Tom. I. pag. 651 sqq. (editio quinta.)

2) A Capitularium commentatore Baluzio ad annum 811 refertur; rectius autem Pertz, *Leg. Tom.* I. p. 118 indicat annum 803.

3) Cf. Eichhorn, op laud. I. p. 529, 650. Pütter, *Historische Entwicklung der Staatsverfassung des Teutschen Reichs.* Göttingen 1786. Tom. I. p. 70.

III. »Qui autem duos mansos tantum de proprio habet, jungatur illi alter, qui similiter duos mansos habeat, et unus ex iis, altero illi adjuvante, pergat in hostem."

IV. »Qui etiam *unum mansum* tantum de proprio habet, adjungantur ei tres, qui similiter habeant, et dent ei adjutorium, et ille tantum pergat. Tres vero, qui illi adjutorium dederunt, domi remaneant."

De armorum genere et numero simili cura erat cautum; nam in Capitulari anni 813, cap. 9, injungitur Comiti, ut praevideat, quomodo sint parati homines; »habere debebant lanceam, scutum, et arcum cum duabis cordis et duodecim sagittis; ut et loricas vel galeas. Omnis homo de XII mansis insuper *bruniam* habere debebat." 1)

Mulcta sexaginta solidorum (*konigsban*) statuta erat in eos, qui contemta imperantis jussione, domi remansissent. 2)

De eo, qui sine licentia principis de hoste reversus fuerat, capitis poena sumebatur. 3)

---

1) *Brunia*. Vernaculo sermone *harnas*, id est lorica et galea ferreae: opponitur levi armaturae illorum, qui quatuor tantum mansos habebant.

2) Capitulare ad Longobardos. cap. 2. anni 801. Meyer, op. laud. I. p. 59.

3) Capitulare anni 812 cap. 2. Desertio a Francis proprio

§ 2.

Quinam ab hac militia erant liberi?

Expressa fit mentio immunitatis ordinis ecclesiastici. Sic Episcopi, Abbates, ac generaliter omnes clerici heribanno eximebantur. 1) Quin prohibebantur in exercitum vel hostem pergere, 2) nisi officii causa, tamquam verbi divini interpretes, religionis solatium morientibus allaturi. E tribus Episcopis unus tantum *cum omni suo vasalico* 3) exercitum sequebatur; ceteri domi remanebant, *salvo honore.* 4)

Haec formula *salvo honore* indicat, immunitatem in sacerdotum favorem introductam fuisse. Qui enim bannum contemsisset suo Marte, honorem ac beneficia amittere periclitabatur. 5)

---

vocabulo dicebatur *herisliz.* Cf. Dippoldt, *Leben Kaiser Karls.* p. 70 et 143.

1) Capitulare anni 803. Cf. etiam Eichhorn, op. laud. Vol. 1. pag. 667 sqq.

2) Capitulare Car. Magni, anni 769, cap. 1.

3) Vita *S. Bernwardi.* cap. 28.

4) Cf. Möser, *Osnabrückische Geschichte. Berlin* 1843. Tom. I. pag. 197. Eichhorn op. laud. Tom. I. pag. 661. Walter *Lehrbuch des Kirchenrechts*, 9te *Auflage.* (Bonn 1842) § 115.

5) Capitulare anni 789. c. 24. » Si Comes eum absconderit, et ad hoc excusare non potest, *honorem* suum perdat."

Verum de solis clericorum *personis* dicta sunt intelligenda; nam monasteriis, omnibusque ecclesiis, pro bonis immobilibus munus incumbebat, homines suos, seu liberos, seu glebae adscriptos, armare et ad exercitum mittere. [1]) Erat hoc onus generale, neque Caroli Magni aetati peculiare. Idem diu post apud alias gentes valebat. Ita Guilielmus Conquaestor, Angliae Rex, anno 1070, »Episcopatus quoque, et Abbatias omnes, quae baronias tenebant, et eatenus ab omni servitute seculari libertatem habuerant, sub servitute statuit militari, inrotulans singulos episcopatus et abbatias pro voluntate sua, quot milites, sibi et successoribus suis, hostilitatis tempore, a singulis exhiberi voluit." 2)

Ceterum facile intelligitur, rationem habitam fuisse opum ac facultatum monasteriorum. Ludovicus Pius illa in tres divisit classes: » 1° quae dona et militiam facere debent; 2° quae tantum dona dare debent sine militia; 3° quae nec dona nec militiam dare debent, sed solas orationes pro

---

1) Cf. Möser, Op. laud. I. 195. Eichhorn, op. laud. I. 667. Struvius, *Corpus Juris Publici* p. 381.

2) Chronicon Matthaei Paris., ad S. Albanum monachi. Cf. Phillips, *Englische Reichs- und Rechtsgeschichte.* Tom: I. p. 104.

salute imperatoris vel filiorum ejus et stabilitate imperii." 1)

Ipsa autem monasteria et contigua aedificia ubique ab omni hospitii militaris onere erant libera. 2)

§ 3.

Quid de victu militum in Capitularibus Caroli Magni erat constitutum?

Bello exorto, certum erat temporis spatium, intra quod ii, qui servitium militare praestare debebant, ad indictum heribanno locum convenirent. Hic locus, ab Imperatore designatus, proprio vocabulo dicebatur *placitum.* 3) Hoc temporis intervallum erat sex hebdomadum, et unius diei. 4)

Intra hoc tempus omni apparatu militari et victu *ad tres menses* se instruere debebant. 5)

Animadvertendum, hos tres menses fuisse com-

---

1) Pertz, Tom. I. p. 223. Eichhorn, op. laud. I. p. 669.

2) De ecclesiarum immunitate conferatur inprimis: *Ecrits pour et contre les Immunités, prétendues par le Clergé de France.* Paris. 1751. Tom. I. pag. 41, 69, 73, 100. Tom. II. pag. 55, 186, 193 sqq. Walter Op. laud. p. 455. Marculfi *Formula* 44 in appendice *Capit.* ed. Baluzii. T. II. p. 579; 624.

3) Eichhorn, op. laud. 656.

4) J. Schilteri, *Codex Juris Alemannici.* p. 80.

5) Capitulare II. anni 812.

putatos a die, quo exercitus in hostem, et vero in hostilem regionem iturus, placitum, sive mallum reliquisset. Hic tamen victus sibi comparandi mos jam pridem erat receptus; ait enim Imperator: » ut secundum *antiquam constitutionem* praeparatio ad hostem faciendam indicaretur et servaretur."

Eodem Capitulari Carolus designat locum, a quo, pro variis bellorum et itinerum opportunitatibus, ea, quae ad victum essent necessaria, sibi procurarent. » Ut his, qui de Rheno ad Ligerim pergunt, de Ligere initium victus sui computetur. Hi vero, qui de Ligere ad Rhenum iter faciunt, de Rheno tres mensium victualia habenda esse dinoscant. Qui autem trans Rhenum, et per Saxoniam pergunt, ad Albiam marcham esse sciant. Et qui trans Ligerim manent, atque Hispaniam proficisci debent, montes Pyrenaeos marcham sibi esse cognoscant." 1)

---

1) Cf. Pütter, op. laud. Tom. I. p. 71.

§ 4.

Caroli Magni de hospitio sanctiones.

Re militari, ut a Carolo ordinata, ac legibus definita erat, breviter adumbrata, non mirum videbitur, in Capitularibus proprie desiderari illas constitutiones, quae ad merum pertineant jus hospitii, sive ad munus militum in civium domos recipiendorum; quod si obtinere vix possit nisi in civitate, certo ac stabilito regimine gaudente, aetas Caroli, et immensum ejus imperium, perpetuis rebellantium Ducum ac populorum conjurationibus et incursionibus vexatum, tali instituto parum erant accommodata. Nec tamen in Capitularibus desunt, cum argumento nostro arcte conjuncta. Nimirum id curabat Imperator, ut omnis militum molestia, quoad ejus fieri posset, a civibus arceretur, neque hi ultra modum servitiorum praestatione vexarentur. Audiamus Carolum, in Encyclica de generali placito habendo. 1) » Et hoc omnino praecipimus, ut observare faciatis, ut cum bona pace pergatis ad locum praedictum, per quamcunque partem regni nostri itineris vestri

1) Pertz, Leg. T. I. p. 145.

rectitudo vos ire fecerit; hoc est, ut praeter herbam, et ligna et aquam nihil de ceteris rebus tangere praesumatis, et uniuscujusque vestri homines una cum carris et caballariis suis vadant, et semper cum eis sint ad locum praedictum, quatenus absentia domini locum non det hominibus ejus mala faciendi."

Uti jam Imperator Justinianus novella CXXX [1]) exactiones judicum itinerantium coercuerat, eandem ita rem Carolo ejusque successoribus cordi fuisse efficere possumus e Capitulari de missis dominicis, anni 855, ubi haec reperiuntur verba: » Scimus quod, quando potentes (sive ecclesiastici, sive seculares) a populo, in quorum domibus *mansiones* [2]) accipiunt, suis usibus, suorumque equo-

---

1) Cf. quoque l. 6. §§ 3, 5, 6. D. de officio Praesidis, ut et Carmignani, *Juris Criminalis Elementa*. T. II. p. 53, qui concussionis propriae speciem refert, metatoris nempe, qui hospitia militibus et officiis praebenda designat, et eo praetextu pecuniam acceperit.

2) Voces *mansio*, *mansionaticum*, saepissime in Capitularibus occurrunt. *Mansio* (quae vox jam adest in L. 18, § 10 D. de Muneribus et honoribus) non semper idem significat. Quibusdam locis est ipsa domus, seu habitatio, in quam hospites sunt recipiendi, aliis vero significantur expensae, ad hospites recipiendos factae. De utroque vocis sensu videatur adnotatio Baluzii ad Cap. Lib. II. p. 1114. Capit. Caroli Magni II. 233. Capit. Caroli

rum necessaria *per vim* tollant, et hac occasione populus noster affligatur. Idcirco praecipimus, ut nullus fidelis noster, quicunque ad nostram praesentiam properat, nihil in veniendo aut revertendo ab aliquo violenter tollat, sed suis hominibus et equis, nisi forte ab amicis stipendia accipiat, a hostibus (hospitibus) suis justo pretio comparet."

Eaedem denique praestationes in natura, frumentariae, de quibus apud Romanos videmus, in Capitularibus occurrunt: constat enim imperatorem frumentum imperasse incolis, et partem cujusque

---

Calvi II. 874. Proprie mansionaticum est locus publice paratus, quo princeps Seniorum diverteret; verum crebrius sumitur de expensis a provincialibus factis, ad recipiendos missos, comites, duces et eorum ministros (Cff. du Cange, *Glossarium* IV. 431. Capitulare Caroli Calvi, tit. 43. cap. 20: »nemo in villis nostris vel uxoris *mansionaticum* accipiat." Ejusdem capitulare de villis, cap. 27: »nullis modis in curtes dominicas mansionaticos prendant.") Unicuique horum, pro dignitate sua, viaticum erat praestandum, quod proprio nomine dicebatur *paratae*. Capitulare Ludovici Pii, anni 815. »Et missis nostris, quos pro rerum opportunitatibus illas in partes miserimus aut Legatis, ad nos transmissis, *paratas* faciant, et ad subvectionem eorum veredos donent."

Fallitur Sigonius, lib. VII. *de Regno Italiae*, ait du Cange, V. 166, ubi dicit paratos esse sumtus, quos populi in vias pontesque fluminum, quo transiturus aut aditurus rex erat, reficiendos impendebant.

messis, tamquam regale tributum, in usum exercituum adhibuisse. 1)

Per quamcunque deinde provinciam exercitus iter faciebat, ab incolis accipiebat *fodrum*, id est stramentum et paleam in equorum usum, qua in re tempora bene distinguenda sunt. Postea enim sensu latiori vox fodrum (*voeder*) usurpabatur. Cf. Charta Heriberti, Viremanduorum Comitis, a. 1076, apud Heneraeum: » Decrevi et praecepi, ne quis audeat pastum, annonam, stramentum aut paleam de cunctis ejus possessoribus auferre," quae quidem omnia *fodrum* comprehendebat, nempe quamlibet exactionem, atque adeo non equorum duntaxat, sed et ipsorum militum annonas vel victum. 2)

Inter servitia militaria primarium inde a Romanorum Imperatorum 3) aetate locum obtinebant

---

1) Capitulare a. 813 § 10. » Unusquisque comes duas partes de herba in suo comitatu defendat ad opus illius hostis." Cf. Möser, op. laud. I. 188, 190, ubi agit de decimarum, cum frumenti, tum pabuli irrogationibus, quas inter praecipuas perpetuarum Saxonum in Carolum seditionum causas recenset.

2) Cf. Eichhorn, op. laud. I. 657, Struvius, *Corp. Jur. Pub.* p. 380. du Cange, in voce III. 470 sqq.

3) Cf. *Cod. Theod.* Lib. VIII. Tit. 5. *de cursu publico, angariis* et *parangariis.* L. 18 § 29 D. de *muneribus et honoribus.* Tempore Imperatorum jam *frumentarii* nominantur, milites certo

angariae, id est jumentorum vel plaustrorum praestationes, cum in usum ipsius Imperatoris, tum maxime ejus militum. 1) Veniebant autem, teste du Cange, *angariarum* nomine: » I° personalia servitia, quae quis in persona sua implere cogitur, cum propriis sumtibus servit. II° Opera, possessionibus imposita, cum quis alienis sumtibus servit, servitiumque implere debet in re sua, ut in equo, asino, cet." 2) Semper autem cum angariis nominantur *parangariae*, quae idem fere significant. Distinguunt ita: *parangarias* praestari per viam transversam seu extra viam regiam, *angarias* contra per viam directam. 3) Eodem modo distinguuntur *veredi* et *paraveredi*, scilicet equi, publico usui destina-

---

numero singulis legionibus adscripti, quibus munus incumbebat, ut res novas explorarent, et Caesari nuntiarent, vehiculis publicis et per intervalla mutatis iter accelerando. Frumentarii dicebantur, quod cum vehiculariae rei praeessent, frumentum militare transvehendum a provinciis curarent. Exinde patet, *veredorum* instituti originem fuisse militarem. Cf. Aelii Spartiani vita Hadriani, c. 11, ibique adnotatio Salmasii.

1) Cf. Eichhorn, op. laud. I. 437, 677.

2) Inde voces *angariare:* aliquem equo vel carro deferre, ex debitae praestationis servitio; *angariarius:* qui his operibus est obnoxius. Cf. du Cange. Glossarium in voce.

3) Du Cange, in voce, qui memorat Chartam anni 1308, ubi verba » ab omni feodo, retrofeodo, ... *angaria*, *parangaria*, garantiet et defendet."

tis. [1]) Veredorum et omnino cursus publici origo Romana est, et a plerisque scriptoribus Augusto tribuitur. Ita Mascovius, *Opuscul. Jurid. et Philologic.* p. 349. » Cursum publicum et vehicularium primus instituerat Augustus (quamquam de Trajano id affirmet Victor) noscendis ocius, quae ubivis e Republica gererentur. Eundem summa diligentia sublevavit Pius, a privatis ad fiscum traduxit Severus." Augustum vehicularium cursum eo tantum consilio instituisse, ut quid in provinciis gereretur, cognoscere [2]) celerius posset, constat; et errare videntur cum Aurelius Victor, qui originem cursus publici Trajano, tum Aelius Spartianus, qui Hadriano tribuit imperatori, cursum ab Augusto institutum, a cursu fiscali non bene distinguentes. Augustus enim nuntiorum celeritati promovendae tantum prospexerat; Hadrianus et Severus magistratibus et aliis personis quoque veredos exhiberi jusserunt, » ne magistratus hoc onere gravarentur." (Vita Hadr. c. 7.)

Jam haec cursus publici a privatis ad fiscum

---

1) Eichhorn, op. laud. I. 437. Möser, op. laud. I. 296 sqq. du Cange, in voce.

2) Cf. Salmasii adnotatio ad vitam Hadriani. *Hist. Aug.* p. 31.

translatio confusa videtur cum primo Augusti instituto, quod tractu temporis in magnum onus creverat. Hinc Antonini Pii laudes apud Julium Capitolinum cap. 12, » qui, ait, vehicularium cursum summa diligentia sublevavit," diplomata paucis largiendo, et non nisi in publicis ac necessariis causis evectiones fieri sinendo. 1)

1) Cf. T. Cod. de *cursu publico, angariis et parangariis.* L. 11 D. de *excusatione* et *vacatione munerum.* L. 18 § 19 *de muner. et honor.*

CAPUT III.

Hactenus veterum, cum Romanorum, tum Regum Francorum de hospitio militari attulimus praecepta; neque quis, barbarum et incultum patriae statum, ut et fontium inopiam secum reputans, me perperam instituta majorum neglexisse jure dicere possit. Jam tempus adest, quo cum fructu oculos in patriam convertere, ac proavorum instituta explorare possimus. Quod ut ordine fiat, tertium disquisitionis caput periodum imperii Comitum complectetur; neque ab argumento alienum ducimus, antequam quae de militari hospitio tradita sint, commemoremus, paucis verbis rem militarem, Principisque jus circa eam explanare. Igitur videamus,

§ 1.

Quaenam de belligerandi more hoc tempore nobis sint tradita?

Bellum indicere et gerere, Principis fuisse constat; militiam instruere et militantes evocare, Episcoporum, Ducum, et Comitum, regio nomine et vice regnantium erat officium. [1])

Ne autem in gravissimos errores incidamus, non sunt confundenda illa, quae ad defensionem terrae geruntur bella, cum *offensivis* quae dicuntur, a Principe, aliorum terras invadente, susceptis.

Ut ex institutis [2]) Germanicis, a Carolo Magno heribanni nomine confirmatis, jam videmus, cum ad defensionem terrae, et commune periculum arcendum arma suscipienda erant, omnes homines liberi convocabantur, et armati ad placitum seu mallum Comitis venire debebant. [3])

---

1) Cf. Kluit, Primae Lineae Collegii Dipiomatico-Historico-Politici. p. 65 sqq.

2) Capitulare Caroli Calvi, ed. Baluze. T. II. p. 14: » Volumus, ut cujuscunque nostrum homo in cujuscunque regno sit, cum seniore suo in hostem, vel aliis suis utilitatibus pergat, nisi talis regni invasio, quam *Lantweri* dicunt, acciderit, ut omnis populus illius regni ad eam repellendam communiter pergat."

3) Hoc dicebantur: *ter heervaart gebieden*, *porren:* ac fiebat ad pulsationem campanae: *bij klokslag*, *door het luiden der ban-*

Quodsi quis hoc jussum sive bannum contemsisset, mulcta puniebatur, judicio ingenuorum hominum (*welgeboren mannen*) irrogata 1).

Urbium munus erat, certum hominum armatorum numerum ad bellum mittere, privilegiis 2) definitum. Quin et subinde ab omni militari servitio immunes declarabantur nonnullae civitates ob insignia in Principem 3) merita. Ita cives Dordra-

---

klok. Cf. Meerman, *Geschiedenis van Graaf Willem van Holland, Roomsch Koning*, T. I. p. 47. Nijhoff, *Gedenkwaardigheden uit de geschiedenis van Gelderland. Inl.* p. LXXXIX *et Cod. Diplom.* no. 208. Van Mieris, *Groot Charterboek.* T. I. p. 220 536. De *trinoda necessitate*, et *posse comitatus* Anglo-Saxonum Vid. Hallam, *Histoire Constitutionnelle d'Angleterre.* T. II. p. 408 sqq. et ejusdem auctoris *l'Europe au Moyen-Age.* T. I. 366.

1) De hoc judicio Vid. Meerman, op. l. p. 48. Nijhoff, Cod. Dipl. 208. Van Hasselt, *Geld. Oudh.* I. 348, 363, sqq. Van Mieris. I. 220. » Quicunque ad pulsationem campanae non venerit, solvet mihi viginti solidos." (Privilegia concessa oppidanis de Haerlem, per Wilhelmum Comitem Hollandiae, Ao. 1245.)

2) Sic e privilegio, ai. 1245 a Comite Guilielmo II concesso, Harlemum armare debebat 64 homines, urbs Delft 41, oppidum s'Gravenzande 5, etc. Cf. Meerman, op. l. I. 139, 142, 145. III. 436. van Mieris I. 219, 236, 603. » *Die poorteren van den Wyck* (*Beverwijk*) *moeten ons, of den waren Heere van Hollandt in onzen heervaart dienen met* 30 *mannen op hun eygen kosten.*"

3) V. Mieris. I. 615. » propter multa fidelia servicia, quae nobis dilecti oppidani de Dordraco nobis fecerunt, et adhuc in posterum facient."

ceni hac immunitate gaudebant, ut testatur van Mieris I. 263: »ob fidem et devotionem ... ab omni expeditione et petitione, nisi cum uno *cogghere* liberos et absolutos dimisimus." 1)

Memorandum deinde est, cum bello exorto, expeditio maritima facienda esset, nonnullis Hollandiae Septentrionalis pagis incubuisse munus nautas, et alios maris peritos praestare, quo officio pro viribus et incolarum numero praestito, a *landwera* erant immunes. 2)

Ubi vero bellum offensivum, quod vocabatur, Principi seu terrae domino (Landsheer) gerendum esset, omnes Nobiles, ejus vasalli, (*leenmannen*) cum hominibus suis ad certum tempus et locum confluebant. Propriis sumtibus sese armabant, et donec ad placitum ventum erat, sustentabant. Ab eo inde die Principis erat, iis victum praebere, et quod equis vel armis passi fuissent damnum,

---

1) In eadem tamen charta legitur infra. » Quandocunque nos Dordrecht accesserimus, et opus habuerimus victualibus, nobis credendis ad quatuordecim dies, absque contradictione nobis concedent, ita quod securum faciamus creditorem."

2) Cf. Meerman. I. 49. V. Mieris. I. 586. Naves, quae huic servitio militari inserviebant, proprio vocabulo dicebantur *Koggen*, unde nomen *Koggeschuld;* et nostris adhuc temporibus, Hollandiae Septentrionalis tractus (*polder*) nomine designari solet: *de IV Noorderkoggen*. Cf. et van Idsinga, *Staatsrecht*, II. 103 sqq.

quoad fieri poterat, compensare.[1]) Ceterum haec, ni fallor, principia hac in re observari solebant. Cum copiae terrestres alicui Principi extero in auxilium mittebantur ab alio, huic incumbebat officium homines suos alendi et sustentandi, quamdiu in ditione sua degerent; quae copiae quum in terras exteras pervenissent, Principis, auxilium petentis erat, hominibus et equis victum ac commeatum praebere. [2])

Diplomata deinde hujus temporis nos docent, Principem extra territorium bellum gerentem vasallis et equitibus suis stipendium dedisse, et quidem numeratam pecuniam, [3]) qua et hominibus et

---

1) Charta 27 Oct. 1299. Mieris I. 614. » *Waert, dat onse lieve neve voorsz. orloghedo van onsent weghe met onsen lieden, soe sal men dien cost, die men in die oirloghe doet, doen by rade van ons ende van ons* goeden luiden *van onsen lande ende van ons* Poirten (*Poorteren*)."

2) Cf. Nijhoff, op. laud. p. LXXVI, et Cod. Dipl. No. 23, 66, 225. Mieris, II. 278. Hisce conditionibus foedus inierunt Comites Hollandiae et Gelriae, Ao. 1319, de quo videatur Nijhoff, Cod. Dipl. No. 186. In charta lectu dignissima Ai. 1328. (Nijhoff, Cod. Dipl. 225) eodem modo amicitiae et mutui auxilii foedus pepigerunt Comites Gelriae et Juliacensis (Gulik,) ubi occurrunt verba: *also alst ghewonlich is;* e quibus efficimus, copias in auxilium missas a territorii Domino jam olim fuisse sustentatas.

3) Vid. v. Mieris, I. 585. de foedere, inter Philippum, Regem Franciae, et Comitem Hannoniae, (Jan. d'Avesnes) pacto.

equis alendis prospicerent. Hujus rei [1]) egregium exemplum adest in Charta, a doct. Nijhoff allata, (Cod. Dipl. No. 262) quae illustrat historiam belli, quod Ao. 1332 exarsit inter Philippum, Regem Franciae, et Ducem Brabantiae, ut et Comitem Artesiae Robertum. Regi nimirum Philippo auxilium promiserant Archiepiscopus Coloniensis, comitesque Gelriae et Juliacensis, hac conditione, et quidem, ut ipsius Chartae, veteri Gallico sermone conscriptae, verbis utamur, » *le banneret vint soulz. Tournois par jour, le bachelier dix soulz. Tourn. par jour; un ecuyer, six Soulz. T. par jour; mais si étaient en ville ou siège, ou lieu, ou ils ne peussent* penre (*prendre?*) *fourrages, ils auraient sept Soulz. de la dite monnaie.*" Ultima verba docent stipendium augeri posse pro victus adipiscendi difficultate.

---

1) Cf. et Van den Bergh, *Gedenkstukken tot opheldering der Nederlandsche Geschiedenis, opgezameld uit de Archiven te Rijssel.* Leyden 1842; ibique Cod. Dipl. No. 68: *Rekening van Krijgskosten en Soldijen voor elk der Hollandsche Ridders en Edelen, gediend hebbende in het leger van den Grave van Holland, in den krijgstogt tegen Vlaanderen.* Aug. 1315, quod illustre documentum ostendit, quinam e Nobilibus Hollandiae et Zelandiae Comitem Guilielmum III secuti fuerint. Horum vero Nobilium majorem minoremve potentiam efficere licet cum e numero hominum, quos secum duxerant, et genere armaturae, tum inprimis e stipendio, pro auxilio soluto.

Supra de Caroli Magni institutis agentes, conspicuam in illis memoravimus vim legum Romanarum. Idem de patria nostra dici potuisse auctor nobis est Philippus de Leyden, 1) clarus saeculi XIV scriptor, in Tractatu Juridico-Politico *de Cura Reipublicae*, et de *Regimine Civitatis*; qui pluribus locis juris Romani auctoritate utitur ad confirmandam Principis potestatem. Sic Principi curam tribuit militum, » qui, ait, *in publicis mansionibus* manentes, *per Rempublicam armati et aliti sunt.* (*De Regimine Civitatum.*) Legendus inprimis est, ubi agit de jure Imperantis circa frumentaria servitia aliarumque specierum praestationes occasione belli, a nemine denegandas. » Nota ex hac lege, (l. Cod. *ex quib. muner. vel praest.*) quod instante necessitate Princeps comparationem frumenti indicere potest. (casus X.) Nota

---

Simile documentum nobis exhibet Warnkönig, *Flandrische Staats- und Rechtsgeschichte, bis zum Jahr* 1305. Tom. III, P. II, p. 192 (*Verzeichniss von Rittern im Dienste des Grafen Guido von Flandern, mit Angabe ihres Soldes.*) Cf. quoque Gachard, *Collection de Documents inédits de l'histoire de la Belgique*, I, 154, 156, 163 sqq. II, 114, 189, 191.

1) Nobili Hollandiae familia oriundus, Juris Canonici inprimis erat peritissimus; variis muneribus ecclesiasticis functus est, et consiliarius quoque fuit Hollandiae, Zelandiae et Hannoniae Comitis Guilielmi V (e Bavara stirpe.) Obiit circa annum 1380.

ex hac lege, ad et juxta possibilitatem, quorumque locorum possessiones ad frumenta limitum convenienter ordinari oportere. (casus XXIII.) Nota ex hac lege, quod a subsidio et constructionibus murorum nemo se potest excusare. (casus XIII, XXXIX.) Nota ex hac lege, quod solita ministeria in expeditionibus sunt Principi observanda. (casus XII) Nullum privilegium quem excusat a portus, aquaeductus, et murorum instauratione, sive exstructione. (*De Regimine civitatis.*) Nulla domus Imperatoris venerabilisve Augustae sacro-sanctarum ecclesiarum illustriumve personarum excusatur, quin *ad ipsam pertinentes* 1) tempore expeditionum exhibeant servitia in angariis et 2) parangariis, plaustris et aliis muneribus."

Inter illa instituta, quae cum argumento nostro arcte sunt conjuncta, collocandum in primis videtur jus *Aperturae*, quod dicitur. Multi scriptores de

---

1) Eodem modo, Caroli Magni aetate, glebae adscripti immunitate ipsorum Ecclesiasticorum minime gaudebant.

2) Philippus de Leyden angarias et parangarias ita distinguebat (Casus XII): « Notum etiam, quod in expeditione nemo ab angariis, (quae dicuntur exhibitio operae sine sumtu) vel parangariis (quae dicuntur exhibitio operae cum sumtu vel plaustris, seu aliquo munere,) per aliqua privilegia potest excusari."

hac re verba fecerunt, mire tamen de ea discrepantes: alii novas edere sententias, alii jam editas conciliare conati sunt, nulli fere accuratam juris aperturae definitionem exhibent, quae diplomatibus hujus aevi plene confirmetur. Angusti dissertationis fines hujus juris historiam hic tradi non sinunt; quam ob rem paucis verbis Aperturam definire, ac diplomatibus illustrare conabimur.

Jus Aperturae igitur *est servitus, qua quis, solus vel cum suis hominibus, libere et sine ulla molestia, terram, urbem, arcem, vel castellum, quae ab alio justo dominio possidentur, potest ingredi et exire, aut in iis commorari; qua servitute quoque conceditur jus his locis utendi, et illa in utilitatem suam adhibendi, conditionibus, de quibus convenerit inter illum, qui aperturam sibi stipulatur, et terrae, urbis, arcis, seu castelli dominum, qui aperit, ideoque hoc in re sua pati debet.*

Secundum hanc definitionem castellum, arx, vel urbs, in qua alicui jus aperturae competit, est semper *aliena;* nulla est servitus, nullum igitur jus Aperturae, nisi jus *in re aliena* sit, ex quo haec nobis servire, id est usum aliquem praestare debeat; in re enim propria nemo servitutem ha-

bere potest. Perperam plerique scriptores [1]) statuerunt, jus Aperturae fuisse jus, quod ***domino territoriali competat in terris suis;*** quod jus longe aliud et majus est, et eodem fere modo Aperturam superat, quo dominium antecellit servitutem. Alii jus Aperturae confuderunt cum jure regali, domino territoriali competente, distinguentes aperturam ***superiorem***, quae Domino competit, et ***inferiorem***, quae et aliis consuetudine aut pacto simul competere potest. [2]) In eundem errorem vir sagacissimus et de antiquo jure publico optime meritus **Adrianus Kluit**, mihi incidisse videtur, cum [3]) ait: »Olim a Principibus non aliter castra Nobilibus atque vasallis concessa, seu tacite, seu expresse nisi ea interjecta clausula, ut concedenti semper pateat castri ingressus."

Dominus enim jus terras suas circumeundi et ingrediendi habet; nam » non debet, cui plus li-

---

1) Ut Nic. Kindlinger, Beiträge zur Geschichte Deutschlandes, T. III. p. 118 sqq. Kremer, *Academ. Beiträge* III. 50, 85. Klock, *de Contribut.* c. 9, n°. 23. Bocer, *de Regal.* c. 2, no. 137 seqq. et 162.

2) Cf. J. Calvini *Lexicon Juridicum*, voce *apertura* I. p. 122, ibique citati scriptores.

3) *Primae Lineae Collegii Diplom. Hist. Politici*, *Cap. XII*, § 479.

cet, quod minus est, non licere." 1) Quin jure hereditario vel alio titulo terrarum dominium nactus, primum in novam ditionem jus exercebat per illas iter faciendo, et urbes arcesque sibi aperiri jubebat. 2) Hinc origo repetenda est moris *claves Principi introeunti offerendi*, quo symbolo legitimus terrae Dominus agnosci solebat. Hoc igitur non merum est jus aperturae, verum est ejus pars, est sequela, accessorium juris principalis, quod illi, Domino, competit.

Exinde patet, illum, qui arcis vel castelli aperturam sibi stipulatus fuerit, *propterea* minime esse dominum; qui aperturam concesserit, nequaquam *propterea* esse hominem ligium. (*Vasal*, *dienstman*). Hac in re fallitur Nyhoff: 3) contra van de Spiegel in longe alium incidit errorem, cum dubitet, utrum comiti Hollandiae in terris suis jus aperturae competierit, nec ne. 4)

---

1) l. 21. D. *de regulis Juris*, l. 110 cod.: » In eo, quod plus sit, semper inest et minus."

2) Cf. J. Grimm, *Deutsche Rechts-Alterthümer*, p. 137, qui horum itinerum permulta affert exempla.

3) *Gedenkwaardigheden uit de geschiedenis van Gelderland.* Inleiding, LXVIII, LXXXVIII. Neque van Spaen, *Inleiding tot de Historie van Gelderland*, III, 122, 220, 263, hac in re est accuratissimus.

4) *Historie van de Satisfactie der stad Goes*, *in* 1577, p. 298

Quae diximus, ita valent de urbibus, castellis, et arcibus, quas Princeps in usum, seu custodiam, vel tamquam feodum 1) aliis dabat; quae quidem omnes ei patebant, non jure aperturae, sed jure superioritatis territorialis.

Cum deinde aliquis a domino terrae in hujus

---

en 299. » Niemand vermogt nieuwe sterkten te bouwen, zonder oorlof van den Grave; maar wanneer de toestemming daartoe verleend wierd, was het gemeenlijk onder voorwaarde, *dat het des Graven open huis of Poort zoude zijn, om vrijelijk daar uit en in te rijden, en te gebruiken naar zijn wil;* hetgeen ingewikkeld te kennen geeft, dat de Graaf buiten zoodanig een voorwaarde dat regt niet had."

1) Observatum volo, hic sermonem esse *beneficii*, vel *feodi dati*, non vero *oblati;* quod omnino est distinguendum, ne eodem modo, quo ceteri, qui hac de re egerunt, fallamur; nam de *feodo oblato* loquimur, cum alicujus castri seu tractus Dominus, alius potentioris Dynastae tutelae se commiserit, quo casu dominium, omniaque accessoria jura retinet. Cf. de toto hoc argumento Schilter, *Cod. Jur. Alemann.* ad rub. § 14. » Altera divisio ex alia acquisitionis diversitate originem traxit, quum illa initium capere potest aut ex parte domini concedentis dominium utile, aut ex parte vasalli offerentis rei suae propriae et alodialis dominium directum domino." Besold. *Thes. Pract.* voce *aufgetragen Lehen*, Struvius, *Feud.* Cap. VII. » Facta fuit partim Ecclesiis et monasteriis, ex pietate et cura animae, unde feuda ecclesiastica regulariter *oblata*, partim Principibus et potentioribus secularibus facta fuit talis *appropriatio*, majoris securitatis ac defensionis suae gratia." Ita Comites Gelriae, Hollandiae, ac Dynastarum Cuyck et Bentheim Episcopi Ultrajectini erant vasalli.

territorio arcem exstruendi facultatem flagitaret, (arcis enim exstructio nulla sine ejus licentia fieri poterat) Princeps illas addebat clausulas et conditiones, quas sibi suisque utiles judicaret; et rei naturae consentaneum est, semper seu *tacite* sive *expressam* interjectam fuisse hanc clausulam, neque arcis possessorem, neque ejus nomine alios, in futurum illa abusuros esse in Principis detrimentum, sed e contra commodis ejus esse servituros; restrictio igitur, qua ejusmodi castellum numquam hostibus Principis pateret, aut iis belligerandi copiam faceret, sed semper Principi ejusque copiis aperiretur, non erat jus aperturae; sequela et accessorium erat jurium regalium, vel dominii, seu superioritatis territorialis. De argumento nostro posteriori aetate, imo libera Republica, praeclare egit celeberrimus van Bynkershoek, Quaestionum Juris Publici L. II, cap. XIV. » An inconsulto et invito Principe Arces exstruere vel urbes munire liceat, non usquequaque videtur constare. In Mandato Criminali, quo Dynasta Orangius 19 Jan. 1567 ad tribunal Ducis Albani vocatus est, inter alia ei objectum, quod Comiti Brederodio Vianae muniendae auctor fuisset. Cui Orangius Apologia sua, anno 1568 edita, respondit, in Belgio semper licuisse Topar-

chis loca sua munire, et quam plurima ejusmodi munitionum exempla exstare. Postquam autem haec Imperiola (diversae Hollandiae partes) coaluerunt, et in unum Principem concesserunt, ego non ausim, injussu ejus Principis, Magistratibus et Toparchis tribuere potestatem muniendi urbes, vel alia quaecunque loca. Quid enim si muniant adversus ipsum Principem? id utique nullo jure licet, et de eo constituere solius Principis est." 1)

Ut igitur magnum intercedit discrimen inter *aperturam*, quae obtinet ratione domini terrae, et *jus aperturae*, quod ex alio principio originem repetit, sic quoque modus et conditiones, quibus acquiruntur, non parum differunt. Acquiritur scilicet jus aperturae pacto, stipulatione, vel foedere, et exercitium ejus conventione restringitur. Apertura vero, quam dominus terrae in ditione sua exercet, ipsi dominio tacite inhaeret; simul

---

1) Cf. *Instruction pour le Prince Doranges*, *Conte de Nassauw*, *etc.* 8 Aug. 1559, art. 19. » Et ne permectra que aucun de quelque etat ou condition qu'il soit, face aulcuns forts en son gouvernement, ou augmente notablement les forts y estans, sans le consentement de sa mate ou de la duchesse." Vid. Disputatio *de Potestate Guilielmi I, Hollandiae sub* Philippo II, *Gubernatoris*, *cum ordinaria*, *tum extraordinaria*, auctore Gordon. Lugd. Batav. 1835, p. 162.

enim cum alicujus terrae, vel castri dominium acquirit, illa loca *sibi domino* ipso jure patent; potest quidem mandare loci tutelam curae alienae talibus conditionibus, quas stipulari placuerit, v. g. ut semper ingressus sibi pateat; sed ita minime acquirit jus aperturae dominus, retinet tantum jura, quae habebat. Ex iis, quae exposuimus, sequentia efficimus.

I. Ingreditur aliquis castrum, vel dominium alterius jure aperturae: dominus terrae e contra non jure aperturae, sed jure dominii utitur, et Princeps quidem jure superioritatis territorialis.

II. Is, cui concessus est ingressus castri, propterea non acquirit dominium; 1) servitus enim numquam

---

1) Uti male indicare videtur Nijhoff, *Inleiding*, p. LXIX: » *goederen aan onzen Graaf of Hertog opgedragen, en door dezen weder aan hen, die er vroeger vrije eigenaars van waren, in den vorm van leengoederen overgegeven, met voorbehoud doorgaans voor zich en zijn erfgenamen van het gebruik van den burg als openhuis.*" Res male intellecta, vel explicata ansam praebuit innumeris medio aevo vexationibus ac bellis, nam Nobiles et liberi Dynastae, minus potentes, viribus suis diffisi, jus aperturae concedebant aliis potentioribus dominis, veluti Comitibus Hollandiae, Gelriae, Episcopo Trajectensi, qui hoc jure abutentes, eo colore superioritatem territorialem postea in illa loca exercere conati sunt.

rem nostram facit, sed jus in re tantum nobis tribuit.

III. Apertura ex jure dominii, vel superioritatis territorialis natura sua est perpetua; jus aperturae conventione circumscribitur; conceditur v. c. ad tempus belli, ad occasionem, una vice, adversus unum pluresve hostes; apertura ex dominio nullis limitibus circumscribitur; valet contra unumquemque, ad bella et necessitates, ubicumque opus est, nemine excepto.

IV. Jus aperturae pluribus concedere potest dominus; quod facere nequit is, cui defensionis gratia castrum est mandatum, quia servitutem nemo constituere potest, nisi qui plenum rei servientis dominium habeat. Qui ex dominio aperturam habet, jure et impedire potest, ne aliis castri ingressus concedatur.

V. Jus aperturae exstinguitur *consolidatione;* apertura nascitur eo modo, quo jus aperturae finitur.

Superest, ut aliquas chartas afferamus, quibus nostram juris aperturae definitionem probemus: »*concedi* nempe, *iis conditionibus, de quibus convenerit inter illum, qui aperturam sibi*

stipulatur, et terrae, urbis, arcis, sive castelli dominum, qui aperit." 1)

Conceditur igitur jus Aperturae.

I. *a.* cum *investitura,* seu *oblatione.* Ita Jan van Arkel Castrum suum Gorichemum, a⁰. 1290, Comiti Hollandiae obtulit » *tot een open huis,* 2) *de burgt op en af vrileke te ridene.*" 3)

---

1) Diversae sane illae conditiones fuerunt. Ita Otto van Cuyck dominium urbis Grave et regionis suae obtulit Johanni, Duci Brabantiae: » Portavimus, inquit, et dedimus et ad opus ipsius ac heredum suorum *omne jus,* quod habuimus vel habebamus effectualiter, renuntiamus in perpetuum, *nihil juris* in dictis oppidis, fundo, juribus ac libertatibus vel etiam allodio pro nobis, vel nostris successoribus retinendo." Porro: » Idem dominus noster Dux dictum oppidum cum omnibus juribus, fundo, attinentiis et libertatibus, *tamquam suum verum et proprium allodium* nobis in rectum feodum jure Brabantino tenendis." Cf. van Mieris, II. 319. Indolem temporum in chartarum verbis explicandis praecipue esse considerandam, efficimus ex charta, memorata a van Mieris, I. 420, qua Hubertus van Boesinchem castrum suum Kulenburgh vendere dicitur Comiti Gelriae; charta ipsa docet hic maxime rationem fuisse habitam aperturae: » vendidisse *in hunc modum,* quod ipse Comes vel sui haeredes de ipso castro proficuum suum facere poterunt, et utilitatem contra quoscunque; nec hoc ego Hubertus, nec mei heredes contradicere poterimus, nec debemus, vel impedire."

2) Van Mieris. I. 504.

3) Locutiones: *de Burgt op en af te rijden, op en af te vaeren, op en af te behelpen, de poorten geren,* saepissime in hujus aevi chartis occurrunt.

Sic quoque Jan van Heusden,[1] et Otto van Hoekelum, qui oppidum Asperen aperit Guilielmo, Hollandiae Comiti, a⁰. 1313: »*ende ons oepen poort wezen zal, als ons des van noden is.*" [2]

b. sine investitura; ita anno 1310 Gerard van Wederden, ejusque filius Herman declarant castrum Wederden esse *Apenchus* [3]) Episcopi Monasteriensis. [4])

II. Mutui auxilii sponsione facta. Comes Florentius V. Hollandiam aperit Philippo Pulchro, Franciae Regi; [5]) e contra pro certo pretio terras suas aperit Hubertus van Boesinchem. [6])

III. In plurimis chartis jus aperturae *perpetuum* est; ad *tempus*, seu *occasionem* Didericus de Haerlem, a^{0}. 1298, arcem suam Ameide Comiti Hollandiae aperit in bello contra Episcopum Trajectensem, ea conditione, ut bello finito sibi restituatur. [7]) Ita quoque Herman van Ludinck-

1) Cf. van Mieris. I. 595.

2) Id. II. 130.

3) *Apenchus*, pro *openhuis* in chartis frequenter legitur.

4) Cf. Kindlinger, *Münsterische Beyträge für Geschichte Deutschlands.* Tom. III. p. 742, no. 242.

5) Van Mieris. I. 272 seqq.

6) Id. II. 420, 597.

7) Id. I. 597.

huisen Episcopo Monasteriensi arcem aperit, et auxilium promittit, » cum eodem castro assistere durante *guerra.*" [1])

IV. Conceditur *uni personae*, vel ejus *successoribus.* Sic Herman van Ludinchusen a⁰. 1314 Episcopo Monasteriensi, quamdiu vivit, arcem aperit. [2]) Plurimae chartae successoribus quoque tribuunt aperturam. Uni tantum apertum castrum dicebatur *ledighuis.* Ita a⁰. 1323 Dominus terrae Kruiningen Comiti Hollandiae suum *steenehuis*, (castellum) offert. » *En dit huis en alle goed voorsz. zal onze* ledig openhuis *wezen*, *op en af te vaerre*, *onze lude daarop te doene*, *en t' huis daarmede te bezitten t' allen tiden als wijs begheren*, *jof dat wijs te doen hebben.*" [3])

Ubi duobus pluribusve jus aperturae concederetur, conveniebatur de damno, invicem non inferendo. [4])

V. In plurimis chartis cum apertura quoque *auxilium* promittitur. Quum igitur is, qui aperturam sibi stipulatus fuerat, bellum infelicius ges-

---

1) Kindlinger, op. laud. p. 744. no. 243.

2) Cf. Kindlinger. p. 748. no. 244.

3) Van Mieris. II. 313.

4) Van Mieris. I. 562 seqq. Kindlinger p. 777 no. 254.

sisset, eorum, qui aperierant, conditio quoque pejor fieri solebat. Exemplum habemus apud van Mieris, IV. 559, ubi Didericus van Heukelum, a°. 1420 castrum celeberrimum Loevesteyn offert cum investitura: »*en voorschreven slot Loevestyene hem of zijnen vrinden, die hij dat beveelen zal open te houden tot zijnre behouf, en tot sijnen beste, om hem daer wt, ende daer in te behelpen tegens eenen iegelijcken, daer hem des te doen mogte wesen, ende alsoo dick, als des noot gebueren mogte.*"

Nonnulli tamen aperturam sine auxilio promittunt, ut efficimus ex charta, qua Didericus van Herlaer castrum suum aperit, neque aliud promittit Comiti Hollandiae, in bello contra Episcopum Trajectensem. 1)

VI. Pro parte quoque apertura concedebatur, cujus rei memorabile exemplum adest. 2) Anno nimirum 1314 Castelli Lüdinchuisen domini erant pater et filius; pater partem suam aperierat Epis-

---

1) Van Mieris. I. 597.

2) Kindlinger. p. 748, no. 244. Videmur chartas attulisse, quae sententiam nostram utique probent. Ceterum de eodem argumento conferri possunt Kindlinger (chartae 240—254.) Bondam, *Charterboek van Gelderland*, passim. van Idsinga, *Staatsrecht*. II. 381.

copo Monasteriensi, et Comiti van der Mark, filius autem Episcopo tantum.

Ex iis, quae ad jus aperturae illustrandum diximus, patet, Principi licuisse praesidia in castellis collocare et jubere militibus hospitia praeberi; 1) quod jus Principi competebat ratione superioritatis territorialis, Nobilibus ex jure aperturae concedi poterat.

Inter militaria servitia recensetur deinde *scutagium.* (*taxe d'escuage*) Ipsum nomen servitium scuti indicat, et primum in Anglorum historia occurrit. Et initio quidem nihil aliud fuisse videtur, nisi munus vasallis incumbens, Regem per certum dierum numerum, ac propriis sumtibus sequendi in bello contra Scotos. 2). Verum significatio vocis tractu temporis mutata: ita nimirum dicebatur certa pecunia, cujus praestatione cum feudi possessores a militari servitio immunes essent, tum et homines feudo adscripti — 3). In-

1) »In publicis mansionibus manentes," ut ait Philippus de Leyden.

2) Cf. du Cange, *Glossarium* in voce *scutagium* V. 281. Littleton, *Old Tenures of England.* sect. 95.

3) Cf. Blackstone, *Commentaries on the English Laws.* II. 74. *Chronicon* Matthaei Parisiensis *ad S. Albanum monachi*, A. 1201, 1211, 1224. Thierry, *Histoire de la conquête de l'Angleterre par les Normands.* II. 278.

stitutum fuit scutagium ab Henrico II, a⁰. 1159, occasione expeditionis in Tolosam, omnesque ejus successores, bello exorto, eandem praestationem exegerunt. 1) Quum autem multi exinde abusus nati essent, rei prospectum est in illa libertatum Anglorum Magna Charta, cujus cap. XII legebantur verba: » Nullum scutagium ponatur regno nostro, nisi per commune consilium regni nostri."

Igitur scutagii praestatio non semper eadem erat, sed pro belli et temporum diversitate; a voluntate ac decretis Parlamenti pendebat. Ubi erat certum ac definitum, vocabatur *soccagium;* inde formulae: » Soccagium incertum facit servitium militare, scutagium certum facit soccagium." 2) Scutagio regi persoluto, Barones exemplum imitati, parem pecuniam exigere coeperunt ab hominibus suis; 3) neque in patria nostra talis militaris servitii redemptio ignota fuisse videtur; quum historici *jus adohae* commemorent. 4)

1) Cf. Blackstone. l. l. Philips, op. laud. II. 92.

2) Cf. Littleton. *Old Tenures.* Sect. 120. Philips, II. 93.

3) Cf. Kennett. *Antiq. Angl.* ex charta A. 1169. p. 126. *Chronicon M. Par.* 1242.

4) Cf. Bilderdijk, *Geschiedenis des Vaderlands.* III. 91, qui narrat, multos Nobiles hoc jure usos fuisse, cum Hollandiae Comiti Guilielmo III, circa annum 1330 expeditionem facere in mente esset. Videatur quoque adnotatio Clarissimi Ty-

Quaeritur jam, utrum affinitate quadam scutagio Anglorum juncta sint illa tributa tempore Comitum, quorum exigendorum modus dicebatur *bij de Schildtalen?*

» *Schildtalen*, ait Wagenaar, 1) *waren een oude verdeeling der gemeene lasten, volgens welke de steden met hetgene er onder gerekend werd, op een zeker getal van Schilden, zijnde een oude munt*, 2) *waren gesteld.*" Verum silent historici nostri de *Schildarum* tributi origine; in eo tantum, *veterem* fuisse ejus exactionem, omnes consentiunt. Nobis non displicet conjectura, hanc tributi exigendi rationem *bij de Schildtalen*, mi-

---

deman, p. 237, qui *jus adohac » het recht om een verplichten krijgsdienst voor eene somme gelds af te koopen*" definit. Exstat Henr. Cocceji *Diss. de Adoha, Heer-Steuer, Reisegeld, Fahrtlösung*, Francof. ad Viad. 1699. Cf. etiam du Cange, in voce: » Omne servitium pecuniarium, quod praestatur per feudatarios. Videtur dici ab *adunatione*, unde etiam *dohana*, vel *doana*, Gallice *douane.*" Schilter, *Cod.* p. 103, 656, » adjutorium, Gallis *aide*, Italis *adoha.*"

1) *Vaderlandsche Historie* V. 107.

2) Post multas fluctuationes harum schildarum pretium definitum fuit ad 15 *stuveros*, (30 *groot*). Cf. Berg, *Diss. de historia Vectigalium et Tributorum, tempore Comitum*, p. 35 sqq. Kluit, *Historie der Hollandsche Staats-Regering IV.* 476. Velius, *Chronijk van Hoorn*, p. 48. Van Leeuwen, *Handvesten en Privilegien van Rijnland*, p. 20.

litaris esse originis et antiquitus pecuniam significasse, quae belli causa et pro uniuscujusque facultatibus solveretur ad consequendam immunitatem a militaris servitii personali praestatione. Etenim, ut in Caroli heribanno secundum *mansorum* numerum computabatur, quinam ad arma capienda essent adstricti, ita similis ad copias tempore Comitum instruendas ratio habebatur *Schildarum*, quae cum a Clero et Nobilibus, ratione bonorum immobilium, tum ab aliis mansorum seu praediorum (*Hoeven*) 1) possessoribus, et quidem pro certo eorum numero persolvendae essent. Quod confirmatur et loco Adriani van der Goes, *Register van de Staten 's Lants van Holland*, 1—3 Junii 1559: » *Dat de Staten van Holland in alle extraordinaris consenten, by haerluyden syn Keyserlycke en Koninghlyke Majesteyt, gedurende desen oorloge, gedragen, altydt ondersprooken en geordonneert hebben, dat daerinne contribueren souden Geestelyke en Wereldlyke vrye en onvrye*, onder de Schildtalen *of daar buiten*

1) Ceterum patet, in hoc tributo exigendo rationem habitam fuisse fundi vel terrae; nam haec schildarum aestimatio seu ponderatio saepe dicta fuit *Verponding*. Teste v. d. Goes, *Register*, 5 Febr. 1558, » *gedurende dat eene nieuwe verponding of schildtale zal gemaakt worden*," ubi una eademque res significatur.

geseten van hare goederen, gelegen onder de Landen van Holland, of die onder Holland sorteren." Plurima deinde loca, quae sententiam nostram confirmant, occurrunt quoque in: *Register van* Aart van der Goes, A. 1528: »*dat die Staten van Holland zouden willen onderhouden* 2000 *knechten*, op te Sciltalen, *achtervolgende het Concept 't anderen tyde daar af gemaekt.*" (fol. 194.) » *Gehoord de propositie van te onderhouden een man op elk* XX Schiltale." (fol. 82.) » *Het platte Land zal ook geven een portie van de voorsz. f* 75,000, *welke portie zal ommegeslagen worden* op die Sciltale." (fol. 361.)

Neque praetermittenda memorabilis, quae apud Wagenaar, IV. 431 legitur » *Ordonnantie, hoe men 't Lant van Holland en Vriesland zal mogen beschermen tegen de vijanden met haar zelfs ingezetenen, zonder in dit getal van de Ordonnantie eenige knechten van buiten 's Lants aan te nemen, en met een' kleynen kost.*"

2) Martini, 9. » *Want de stad was naauwelijks* 8 *dagen aan de Staten overgegaan, of Hoogstderzelve Gedeputeerden stelden* R. Tullekens *tot Serviesmeester aan, om de penningen, tot bediening van dit ambt noodig, te mogen ontvangen en distribueren.*"

3) *Ordre, etc.* » *En wordt verstaan, dat men de Logysgelden niet zal uitreiken aan de gelogeerde soldaten, maar aan die geen die hen logeeren. Ten ware met voorweeten en consent van den magistraet en officiers van de Logysgelden, en dat zy eenige soldaten daartoe hadden speciaallyk geauthoriseerd, in welken gevalle dit stuk van de Logysgelden alleenlyk aangaende, zy geauthoriseerde soldaten gehouden zijn te renuncieeren beneficium militare, en hun 't onderwerpen de judicatrue en correctie van den Magistraat.*" Cf. Martini, *Bijlage I.*

De Lieutenant, id.	4,16.
De Corporaals der Ruyteren . . .	2.
De andere Officieren en gemeene Ruyteren	1,16.
Ten ware zij met Stallingen waren voorzien, alsdan:	1,8.
Ieder Capiteyn van de Voetknechten .	6.
Ieder Lieutenant	5.
—— *Vaandrig*	4.
—— *Sergeant*	1,14.
—— *Corporael*	1,10.
En aan alle andere geappointeerde, en gemeene Soldaten, ter week, elk .	1,4. [1]

Verum a die 16 Julii 1653, ex Concilii Status decreto, harum pecuniarum dimidium tantum militibus est praebitum, ita ut milites tres denarios (3 *stuivers service*) acciperent.[2]

Ex iis, quae exposuimus jam patet, civibus (saltem pacis tempore) non incubuisse hospitii militaris

1) Cff. *Bijlagen*, ibique tabellae accepti et expensi rationes exhibentes p. 24 seqq. 38 seqq. 67 seqq. 77 seqq. 83 seqq. 94 seqq. 178 seqq.

2) *Resolutie van den Raad van State*, 21 *Dec.* 1678, *houdende*, » *dat in plaats van daadwerkelijke inlogering, de Burgers en Ingezetenen kunnen volstaan met aan ieder soldaat drie stuivers 's wekelijksch te betalen, waarvoer de soldaaten zelve hun quartier zouden moeten zoeken.*"

munus, verum ab hoc onere immunes fuisse solutione certae pecuniae, qua accepta ipsi sibi hospitia comparare debebant milites.[1])

At pecuniae, quas largiebantur Magistratus urbani civibus ad milites recipiendos, e communi Reipublicae aerario[2]) restitui debebant. Et quidem ita convenit A. 1640 inter Concilium Status et magistratus Silva-Ducenses, ut his quotannis erogarentur *f* 55,000 ex tributo praediali, (*Verponding*) quibus onus civibus impositum minuerent.[3])

---

1) Numquam cives in domos suas recipere debebant milites, quibus uxores vel liberi essent, Vid. *Bijlage* No. 33, » *daar het nochthans zonder exempel is in alle guarnizoenen, dat getrouwde soldaten of Ruyteren tot laste van de Burgeren zullen worden gebilletteerd, ook tegen de redenen en ordre van het Land.*" Necessitate tamen coacti, saepenumero inhospitationis onere gravati sunt cives, ut efficitur ex *Bijlage* 62: » *in zooverre dat de welgesteldste burgers quartieren hebben moeten verschaffen aan* 30, 20, 18, 14 *en* 12 *soldaten, anderen aan* 10, 8, 6, 4 *en zoo voort, en vele van de geringste, die niet in staat zijn de soldaten op haar gebilletteerd aldus te bestellen, verpligt zijn aan dezelve hun bedden te leveren, en zich op strooy te behelpen.*

2) De Collegio quatordecimvirali rationibus accepti et expensi curandis praeposito, (*de Generaliteits Rekenkamer*) et de coetu quatuorvirorum, qui aliquam impensarum bellicarum partem procurarent (*Generaliteits Finantiekamer*) cf. Pestel § 385; Janiçon, I, 327, 347.

3) Van Heurn, III. 216. IV. 333 seq. Martini, *Bijlage* 80. » *Dat de serviesgelden eigenlijk noch de Stad, noch de*

A⁰. vero 1648 haec pacta rescissa fuisse videntur, ita quidem ut Provincia Hollandia harum pecuniarum restitutionem in se susceperit.[1]) Quod tamen ab ejus Provinciae Ordinibus ita neglectum est, ut cum vehementer Silvaducenses questi fuissent, iterum a⁰. 1663 hujus rei cura ad ipsos fuerit translata, qui e tributo praediali sibimet ipsi solverent.[2]) Verum a⁰ 1674 rursus Provinciae Hollandiae officium est mandatum, quo pessime fuit functa, et quidem ita, ut urbs Silva

---

Burgerij concerneren en ook in vorige tijden van wegens het gemeene Land zijn gerembourseerd of geassigneerd geweest op de verpondingen, en andere middelen, te 's Bosch van 's Lands wege geheven, zooals zulks te zien is uit de Resolutien van de Staten-Gen. van 31 *Mei* 1640, 27 *Feb. en* 6 *Maart* 1641, *en van den Raad van State van* 10 *April en* 18 *Mei* 1640. Cf. quoque C. R. Hermans: *Analytische opgave der gedrukte Charters, Handvesten, Placaeten, Keuren, Ordonnantien, Reglementen, en andere Staatsstukken, betrekkelijk de Provincie Noord-Braband.* p. 263 seqq.

1) *Bijlage* 66. » *Wanneer de voornoemde service gelden bij den Staat van Oorlog op de Provincie Holland zijn gerepartieerd.*" *B.* 68. » *Sedert welken tijd de betaling der service gelden een* permanente *last is geworden, daar de steden Breda en Bergen op Zoom, sedert de tijd dat het remboursement is achter gebleven, ook hebben achtergelaten eenige service gelden te betalen.*"

2) Cf. *Bijlagen* 37—42.

Ducis a° 1786 de debito ad summam 2000,000 florenorum contracto quereretur. 1)

Quod ad hospitii militaris immunitatem attinet; quae nonnullis concedebatur, illa gaudebant magistratus urbis, ut et liberalium artium professores, verbi divini interpretes, ecclesiae, ac monasteria, a feminis habitata. 2) Ceterum ex peculiaribus causis quoque nonnumquam immunitas concedebatur. 3)

Antequam huic capiti finem imponamus, me-

---

1) p. 41. » *Dat de post van de service gelden die de stad's Bosch voor het Land heeft verschoten, toen bijkans f* 1000,000 *bedroeg en dat sedert* 1713 *tot ult. Dec.* 1785 *aan een ordinair garnizoen, door elkander gerekend op* 1800 *man, het gewone service geld van* 3 *stuivers 's weeks per man, na order van den Staat betaald zijnde, zulks zoude uitmaken een somme van f*1,010880, *welk gevoegd bij de hiervoor gemelde f* 1000,000, *deze schuld te zamen zou beloopen meer dan* 2000,000."

2) Martini p. 5 et 146.

3) Vid. *Groot Placaet boek* VII. 299. *Resolutie van de St. Gen., houdende vrijstelling van inquartiering van* J. Bogaard, *Rentmeester, in dato* 26 *Sept.* 1746. p. 303 » *idem van den magistraet en ontvanger van Venlo*, 1 *Dec.* 1746." p. 303 » *van de huisvrouw van* de Swart, *Resident te Petersburg*, 5 *en* 19 *Dec.* 1746." p. 323 » *van alle Predikanten en Schoolmeesters in de Generaliteits districten.* 12 *Juny* 1747." *id.* » *van de* 4 *oudste advocaten van Venlo*, 7 *Feb.* 1748."

morandum est, equorum praestationes, angariarum nomine jam dudum notas, libera quoque Republica obtinuisse. Cum enim copiae itinerantes equis ac vehiculis indigerent, haec praestabantur ab incolis, donec ad vicinum pervenissent pagum, et omnes expensae, hac occasione factae, ex ipso pagi seu regionis aerario restituebantur. 1)

Ceterum et harum praestationum vestigia manent in nonnullis Belgii regionibus, ubi ad arcendam communibus viribus ac operis maris et fluminum

---

1) Cf. *Gr. Plac. Boek.* III, 286 seqq. ibique *Resolutie van* 1 *Dec.* 1674: » *In ervaring gekomen zijnde, dat de Dijkgraven en Heemraden de onkosten ter zake van de gepreste legerwagens gesupporteerd, zijn omslaande over de morgentalen, ... verklaren, dat de onkosten ter zake van voorsz. legerwagens als voren gesupporteerd, niet tot last van den Lande, of eigenaren van dien gebragt, maar over de Dorpen en ingezeten ten platte Lande omgeslagen zullen worden.*"

Cf. *Recueil van militaire ordres van den Prins van Oranje*, 1684, Art. X, XIII, XIV.

Modus deinde, quo expensae solverentur, diversus fuit. *Gr. Plac. Boek* VII. 329. *Reglement van* 17 *April* 1747. » 1 *Kar met* 1 *paard f* 2,50, *met* 2 *paarden f* 4 *daags.*" et *Reglement van* 24 *Dec.* 1764.

vim incolae vel servitium personale, vel pecuniam, vel carros, equos, instrumenta praestant. 1)

---

1) Cf. Specimen legis, Ordinibus Generalibus oblatum a° 1819, ubi art. 2 tangebatur quaestio. (v. Hogendorp *Bijdragen*, IV. IIde *stuk*, 210 seq. Stuart *Jaarboeken* I, 163.) » *in hoeverre het (na daarop de dijksbesturen te hebben gehoord) verkieslijk zoude zijn, dat op eenige plaatsen de hand- en spandiensten zouden blijven voortduren, of wel geheel of gedeeltelijk door contributien in geld worden vervangen.*" *Bijvoegsel tot het Staatsblad van* 1835.) *Reglement op het beheer der dijken, polders en waterleidingen in Overijssel*, 30 *Dec.* 1835. *art.* 29, 39, 42, 45.) Vid. etiam J. D. van der Capellen, *Vertoog over de onwettigheid der Drostendiensten in Overijssel.* 1778.

CAPUT V.

§ 1. A°. 1795—1813.

Hactenus egimus de hospitii militaris munere, quale in Belgio Foederato existebat, in primis vero in regionibus, non communi civium Belgarum jure utentibus, sed bello devictis et territorio Unionis adjectis. (*Generaliteits-Landen.*)

Sequuntur tempora, quibus premente necessitate, visa fuit res digna, quae, sublata illa Provinciarum distinctione et juris diversitate, consilio delegatorum ad supremum Reipublicae Batavae Concilium regeretur. 1)

1) Exstat quidem edictum, quod cum profectum non sit a suprema in Republica potestate, legi aequiparari non potest, hoc titulo: *Marsch-Reglement, waarnaar de troupes van den Staat op marsch zijnde, zich zullen hebben te gedragen, gearresteerd bij het Bond-*

At, uti universa bellica administratio magnas subiit mutationes, sic et de hospitio militari et de praestationibus, militibus faciendis, lege cautum a⁰ 1799; hoc enim anno invasio Anglorum et Russorum in Hollandiam Septentrionalem satis ostendit, quibus vitiis res bellica laboraret.

Et sane historici testantur, quomodo omnia, quae exercituum opportunitatibus inservire deberent, essent neglecta 1). Copiae, cum antea a Francis in patriam nostram missae, tum maxime A. 1799 summa celeritate in Hollandiam transvehendae, hospitiis et victu indigebant: quae quidem omnia causa fuisse videntur novae de hospitio mi-

---

genootschap te Lande, 14 *Julij* — 29 *Aug.* 1796 apud Luttenberg, *Register van Wetten en besluiten.* Ita et apud consultissimum van de Poll memorantur edicta, *Publicatien*, 4 Julii 1798 et 8 Aug. 1799 de praestationibus operarum copiis faciendis. *Verzameling van wetten en besluiten.* p. 95, 137.

1) Cf. Krayenhoff, *Geschiedkundige beschouwing van den Oorlog in* 1799, p. 22 seqq.: » *Bij de artillerie bestond hoegenaamd geen transport of voerwezen'; weinig zorg en klem had er bij het Departement van Oorlog plaats, de fortificatien waren in den nietigsten staat.*" *Geschiedenis van de Landing in het najaar van* 1799, *door een Officier van den Generaal* Brune, p. 12. » *Met een verbazende moeite bragt de Overste* Matuschewitz *het nog zoo ver, dat het Uitvoerend Bewind de acht Departementen beval voor den* 15 *Augustus*, 1800 *voerlieden te leveren, daar het eenen Leverancier geheel onmogelijk was om in den tijd van* 14 *dagen zelfs* 80 *mannen, veel minder* 800 *te kunnen bekomen.*"

litari constitutionis. Ab eo inde tempore harum impensarum bellicarum procuratio, quo diligentior fieret, pertinere coepit ad munera, a totius civitatis imperio curanda; dum antea multa in qualibuscunque praestationibus erogandis seu remittendis a Provinciarum singularum diversa conditione pependerant. 1)

Lex illa de hospitio militari, 27 Aug. 1799, plus semel fuit confirmata. (*Decreet van het Vertegenwoordigend Ligchaam van* 27 *Aug.* 1799, *gepubliceerd den* 29*sten.* *Publicatie van* 11 *Febr.* 1801, et 23 *Feb.* 1802, *waarbij provisioneel en tot nadere dispositie wordt vernieuwd en gecontinueerd het Decreet van* 27 *Aug.* 1799.) Quae ita libera Republica Batava hac in re fuerant or-

---

1) Cf. Rogge, *Geschiedenis der Omwenteling*, p. 487 seqq: » *Sommige Provintien werden bij den inval der Franschen uitgeput door bijzondere requisitien; Gelderland en Overijssel het meest. De repraesentanten verwachtten van den ijver der Algemeene Staten, van hun verlangen om hun medeburgeren te bevrijden van bijzondere requisitien, die altijd moeijelijk zijn, alle mogelijke werkzaamheid. De Staten begrijpende, dat het leveren van alle die noodwendigheden* in natura *volgens de evenredigheid der lasten voor ieder der Bondgenooten aan te groote zwarigheid zou onderworpen zijn, oordeelden het verkieslijker eene contributie in geld aan de Provincien voor te stellen, zijnde dit een veel evenrediger werkend middel.*"

dinata, viguisse videntur ad annum usque 1807, quo Ludovicus, Hollandiae Rex, aliud promulgavit edictum, cui successit novum 4 Jan. 1809. 1) Quae vero Ludovici constitutiones, Hollandia in provinciae formam imperii Francici redacta, abrogatae sunt introducta lege 10 Jul. 1791 *sur le classement, la conservation, et la police des fortifications et batiments militaires*, Tit. V: *du logement des troupes*. 2)

§ II. A. 1813, 1814, 1815.

Restituta patriae libertate, simul et videntur tollere voluisse patriae sospitatores onus hospitii militaris. Quum enim ad defensionem territorii et recuperationem urbium, quas Franci tenebant, arma continuo essent ferenda; prodiit die 20 Dec. 1813 edictum Principis Arausiaci, quo continebatur *een Reglement van algemeene Volkswapening, Landstorm en Landmilitie, Staatsblad*, n⁰. 14. Ibi autem ordinatur modus, secundum quem novi milites deligantur, ex uno in alium lo-

1) V. d. Poll, *Verzameling*, 138, 481. *Weekblad van het Regt*, p. 382, ubi decreti posterioris Ludovici Napoleontis conspectus exhibetur.

2) Rondonneau, *Collection des Lois*. V. 229 seqq.

cum perveniant, et interim alantur: qua de re articulis 55, 56, 57 ea quae sequuntur, praecepta leguntur:

Art. 55. »*Ieder man geniet drie stuivers per uur afstands, en tien stuivers voor elken rustdag.*"

Art. 56. »*Deze kosten, tot op den dag der aankomst in het garnizoen, zijn voor rekening van ieder kwartier.*"

Art. 57. »*Zoolang er geene indeeling in Compagnien, geene Casernering, en dus geene gezamenlijke Chambrees in de garnizoenen plaats heeft, geniet ieder man* 10 *stuivers per dag voor onderhoud en soldij te zamen.*"

Aut egregie fallimur, aut Edicti haec fuit mens, ut in futurum militibus certae urbes assignarentur, et quidem in illis mansiones perpetuae, publicae; (*Casernering, gezamenlijke Chambrees, Garnizoenen*) quae, quum pro temporis angustia, et rerum inopia non statim accurate possent definiri ac constitui, prospiciebatur interim victui et hospitio militum secundum ea, quae in Belgio Foederato hic et illic obtinuerant, ac supra recensuimus: scilicet militi erogabatur pecunia publice, qua sibi ipse victum ac hospitium quaereret. (*Logies- en Service gelden.*)

Confirmatur et illa hospitii militaris immunitas cum specimine legis imperii, quod Hogendorpio debetur, in quo ne verbum quidem de tali onere civibus imponendo occurrit, tum in primis silentio legis imperii a°. 1814; quae itidem et de hospitii munere et de operis militibus praestandis (angariis, parangariis) prorsus tacet.

Quapropter minime adsentimur consultissimo Soury,[1]) qui in lectu digna disquisitione de argumento nostro, ita statuit. »*Tijdens*, ait, *de invoering der Grondwet van* 1815 *bestaat het regt van inkwartiering, zoo wel voor de staande armee als voor de Militie.*"

Primum enim frustra objicit decretum Principis die 20 Febr. 1814, cujus articulo 66 imperabatur: »*De troepen, marcherende over en op den bodem van den Staat, alsmede liggende in kantonnementen, alwaar geene middelen van Kazernering voorhanden mogten zijn, zullen overeenkomstig het Marsch-Reglement, bij de ingezetenen worden gehuisvest en gevoed.*"

Nam decreto Principis opponi potest decretum, quod laudavimus 20 Dec. 1813, quo antiquae patriae constitutiones renovabantur; quum e contra

1) *Weekblad van het Regt*, no. 381.

posterius edictum unice videatur debitum temporum difficultatibus, et principiis non plane obsoletis regiminis Francici. Frustra quoque afferre videtur vir consultissimus legem 27 Febr. 1815, qua lege penitus sublata est vis decreti 20 Dec. 1813, his verbis: »*De manschappen zullen van het oogenblik af dat zij door den Militie-Commissaris aan het batailjon zijn overgegeven, dezelfde voorregten van soldij, vivres, inkwartiering, en wat dies meer is, genieten, welke aan de staande armee is toegestaan. Zij zullen ook op inkwartiering aanspraak hebben van het oogenblik af aan dat zij zich van hunne woonplaatsen begeven, om zich bij hunne korpsen te vervoegen, en voorts jaarlijks gedurende den tijd denwelken zij voor den heen- en terug-marsch naar huis noodig hebben.*" 1) Sane hic necessitatem magis, quam avita instituta valuisse, quis neget? Deinde, majorem auctoritatem tribuendam censemus cum Viro libertatis civilis ac politicae vindici van Hogendorp, et edicto 20 De-

---

1) *Art.* 75 *der Wet van* 27 *Feb.* 1815, *tot het in werking brengen van Art.* 123, 124 *en* 126 *der Grondwet. Staatsblad*, no. 19. Prodierant jam antea Principis Decerta 26 et 30 Junii 1814. *Bijvoegsel tot het St.* van 1815 I. 216 seqq. Thorbecke, *Aanteekening*. II. 264.

cembris 1813, quo cives ad capienda arma contra hostem vocabantur, et qui domi remanerent odioso hospitii militaris onere liberabantur, tum ipsi legi Imperii A. 1814. Nec levia possunt moveri dubia de legis, quam allegat cons. Soury, constitutione.[1])

At demus, recto more fuisse legem illam 27 Feb. 1815 conditam; justum delegatorum numerum illam suffragiis suis comprobasse, qui tamen delegati non ut hodie Ordines regni Generales, palam in aperto deliberabant, quid, quaeso, nobis obstabit lex illa? Tacebat de hospitio militari lex Imperii 1814, prohibet illud, expresse vetat lex Fundamentalis A. 1815, de qua jam dispiciamus.

In Art. 212 (hodie 210) haec sanciebantur.

» *Alle de onkosten voor de legers van het Rijk worden uit 's Lands kas voldaan.*

De inkwartieringen en het onderhoud van het Krijgsvolk, de transporten en leverancien, van welken aard ook, aan 's Konings legers of ves-

1) De Geer, *Antecedenten* p. 29. no. 3 ad art. 101. » *Geene der beide Kamers vermogen eenige zaak te beslissen, zoo niet meer dan de helft van hare leden tegenwoordig is.*" *Deze bepaling wordt in de Grondwet van 1814 niet gevonden, en bij de Staten-Generaal, krachtens dezelve ingesteld, zijn meerdere zaken beslist, met een veel geringer aantal tegenwoordige leden, dan de helft van het geheel.*"

tingen, kunnen niet ten laste van een of meerdere inwoners of gemeenten worden gebragt. Zoo door onvoorziene omstandigheden zoodanige transporten of leveranciën van bijzondere personen of gemeenten worden gevorderd, zal het rijk dezelve te gemoet komen en op den voet bij de reglementen bepaald, schadeloos stellen."

Ejusmodi articulus, quod plus semel monuimus, in lege Imperii A. 1814 non inveniebatur; et Batavae non esse originis, testatur *Journal des Séances de la Commission, chargée de rédiger un projet de Constitution,* auctore Raepsaet, huic coetui adscripto. 1) Nimirum, quum de hoc argumento sileret lex Fundamentalis A. 1814, rogarunt nonnulli e delegatis Belgii Meridionalis, ut incolis restituerentur publice impensae, occasione praestationum in usum militum. 2)

Quod inprimis urgebant in favorem Belgii Meridionalis, longe magis, quam Hollandia, hostium invasionibus obnoxii: » *indemnité très essentielle pour les provinces Belgiques, théâtre naturel*

---

1) *Verzameling van Rechtsgeleerde Adviezen*, p. 15. Cf. *Oeuvres complètes de* J. J. Raepsaet. VI. p. 126 seq. p. 160, 161.

2) » *Qu'il soit arrêté constitutionnellement, et par principe, qu'il sera donné des indemnités pour les prestations militaires.*"

des guerres du continent, dont les provinces hollandaises sont à couvert par la mer et les rivières." Igitur articuli scriptura non Batavo, sed Belgae, ut narrat Raepsaet, mandata fuit, et quidem curae viri sagacissimi d'Otrenge. Jam vero, si ad verba articuli attendamus; manifestum est, distingui ibi hospitium militare a praestationibus in usum militum. *Inkwartieringen- onderhoud- transporten en leverancien. Logement,- nourriture,- prestation de quelque nature.*

Alterum, hospitium scilicet et victus militum, a civibus numquam secundum praeceptum Legis Fundamentalis exigi poterunt, alterum poterit quidem, scilicet praestationes militares qualescunque, extrema premente necessitate, quarum vero impensae publice erunt restituendae. In tota relatione celeberrimi Raepsaet ne verbum quidem occurrit de *logement et nourriture*, solae memorantur *prestations militaires.* De his igitur, neque de onere hospitii, intelligenda est exceptio generalis, nec umquam ademta hospitii immunitas. Inclusio unius, exclusio alterius. 1) Quam distinc-

1) Thorbecke, *Aant.* » *Er wordt echter voor onvoorziene omstandigheden eene uitzondering gemaakt, ten opzigte van transporten of leverancien, onder de voorwaarde van schadeloosstelling.*" *Regtsgeleerd Bijblad*, II. 3 seq. (1840.)

tionem omnino faciendam esse, ipsius Jurisconsulti, cui debetur scriptura articuli 212, (d' Otrenge) auctoritate et aliunde demonstrari potest. Scilicet, habetur vir ille rerum et forensium et politicarum experientia consummatus inter praecipuos editores ephemeridum[1]) quae vehementer de hospitio militari, legi fundamentali contrario, aliquoties questae sunt,[2]) paucis mensibus post nova edicta Regia, de isto onere civibus imponendo promulgata. Quae novae constitutiones collatae cum art. 212. leg. Fund. mirabili legum, edictorum, ac rerum judicatarum conflictui ansam praebuerunt. Indubitata auctoritate in judiciis floruerunt edicta Regia de hospitio militari usque ad annum 1839, quo primum, ut videtur, in Zelandia quaestio illis mota est. Nec tamen illius Provinciae Curia rei, qui munus hospitis recipiendi detrectaverat, defensionem admisit[3]). Quae antea ex-

---

1) Kemper, *Staatkundige geschriften*, III. 228. » *Een opmerker in de Kamer zelve der Vertegenwoordigers aanwezig.*" (*l'Observateur Belge, een toen bekend Belgisch blad.*)

2) *Observateur V.* p. 97, ubi hospitium militare vocatur » une charge accablante et *inconstitutionelle.*" Vid. quoque p. 28, 181, 413. Ubique legimus nomen scriptoris in calce, ita adjectum *De.*

3) *Arrest van het Hof van Zeeland; (Pleitrede van* Mr. Ph. van den Broecke. p. 34, 35.) » dat de bewering van den appellant, alsof de reglementen en bepalingen op het stuk der

ortae fuerant controversiae de edictorum applicatione, jus tale onus imponendi in dubium non vocaverant. Eo tantum spectabant, ut ne civibus nimis esset grave. 1)

At serie natae sunt difficultates novissimis temporibus. Ita Curia Brabantiae, die 21 Dec. 1842 decreto 25 Oct. 1815 omnem vim denegavit, hanc ob causam, quod collectioni authenticae legum et edictorum, dictae *Staatsblad*, numquam fuerit insertum: 2) quam sententiam partim confirmavit Senatus Supremus, partim infirmavit; 3) quamque

---

huisvesting van militairen in strijd waren met art. 212 der Grondwet, bepalende, dat de inkwartieringen en het onderhoud van het Krijgsvolk niet ten laste van een of meerder inwoners of gemeenten kunnen worden gebragt."

1) Cf. *Het Regt in Nederland*, I. 89 A. 1837 (*stookplaats, Hoofd-officieren, inkwartiering van officieren van minderen rang.*)

2) *Weekblad van het Regt*, 352, 360.

3) » *Overwegende, dat ofschoon aan voormeld besluit van den 25 Octob.* 1815 *geen verbindende kracht kan worden toegekend,* omdat hetzelve niet in het Staatsblad is opgenomen, *dit echter niet het geval is met het Koninklijk besluit van* 4 *Jun.* 1809, *alzoo hetzelve behoorlijk is afgekondigd en nimmer is ingetrokken; overwegende dat die verpligting niet is vervallen door art.* 212; *vermits aan de ingezetenen daarvoor een schadeloosstelling uit 's Rijks kas wordt toegelegd.*" Cf. quoque Thorbecke *Aant.* p. 269: » *de Hooge Raad heeft dus aangenomen, dat inkwartiering en onderhoud van Krijgsvolk, uithoofde eener toegelegde vergoeding, ophouden een last te zijn!*'

auctoritatem decreto A. 1815 denegabat, eandem tribuit decreto Ludovici Napoleontis 4 Jan. 1809. Administer autem regius rerum judicialium, die 3 Maji 1843 aliam de argumento nostro professus est opinionem, quae huc redit: legum vel decretorum vim, non pendere ab eo, utrum diario dicto *het Staatsblad*, fuerint inserta, nec ne; non esse hanc *conditionem*, *sine qua non.* 1) Verum verbis *affiche*, *notification*, *signification*, *ou envoi*, *faits ou ordonnés par les fonctionnaires publics chargés de l'execution* (Avis du Conseil d'Etat, A. XIII,) intelligi quoque publicam notitiam ope ephemeridum: quem decreti vulgandi modum obtinuisse in edicto 25 Oct. 1815 affirmabat. (*St. Cour. van* 4 *Nov.* 1815, n⁰. 262.)

Nec Senatus Supremi neque Administri Regii sententiam secuti sunt paullo post judices Tribunalis, quod est Heerenvenae, qui cum Curia Brabantina

1) Profecto non leve existimandum est argumentum, quod petitur a publica edictorum et legum notitia ope diarii autentici; (conferatur *art. II der Wet*, *houdende Algemeene bepalingen der wetgeving van het Koningrijk; lex moneat*, *priusquam feriat*:) nec tamen nimis hunc vulgandi leges et edicta modum urgere velimus; quid enim, si affirmemus, nullius auctoritatis esse legem 27 Dec. 1815: *tot regeling der reiskosten van de leden der Tweede Kamer?* de Geer, *Antecedenten*, p. 18, 175. (*In het Staatsblad niet geplaatst.*)

auctoritatem decreti 25 Oct. 1815 negarunt, et reum absolverunt, qui duos milites recipere recusaverat: at Curia Frisica, quamquam nec ipsa decreti vim agnosceret, reum condemnavit, qui jussui magisstratus non obtemperasset. [1]) Displicuit vero haec Curiae Frisicae sententia Senatui Supremo, qui totam rem remisit de novo dijudicandam, ad Curiam vicinam Groninganam: [2]) quae Curia quaestionem de diario autentico, ***Staatsblad***, non tetigit, verum aliam ingressa viam, decretum regis Ludovici abrogatum fuisse, Hollandia in provinciae formam imperii Francici redacta, censuit. Reum damnavit ex lege 10 Julii 1791, a Napoleonte introducta. Tandem Tribunal quod sedet in urbe Alcmaria, [3]) die 23 April. 1844, omnium sive legum, seu edictorum de hospitio militari rejecit auctoritatem, utpote quae art. 210 Legis Fundamentalis adversentur, et reum absolvit, qui milites recipere nullo jure adstrictus fuerit.

---

1) »*Overwegende, dat de regeling der inkwartiering in de gemeenten geheel wordt overgelaten aan het beleid en de uitvoering van de plaatselijke besturen; dat de geïntimeerde dus door zijne weigering heeft begaan eene overtreding van een Reglement van algemeen bestuur.*" *Regt in Nederland*, p. 66.

2) *Het Regt in Nederland*, 69.

3) *Weekblad*, no. 501.

Sane hospitium militare legi imperii repugnare, manifestum videtur; nec desunt aliae rationes, ob quas istud onus injustum plane reputandum sit. Nemo enim negabit, munus milites in domum recipiendi tributo esse aequiparandum, [1]) etiamsi expensae publice restituantur, quin et onus tributo esse durius.

Quae, verbi causa, liberalium artium professoribus data est facultas, pecunia soluta oneris redimendi, qua hospitio militari immunes sint, privilegium dicitur. Quod privilegium ipsum nonne potius dicendum est tributum? [2]) Jam vero militum recipiendorum munus eo injustius est, quo inaequalius; quo frequentius, prae aliis, nonnullae urbes et oppida, in viis militaribus sita, hoc onere gravantur. Lege autem fudamentali expresse cavetur, ut ne in causa tributorum ac vectigalium extra ordinem quis vel gravetur, vel fruatur immunitate. [3])

---

1) Thorbecke p. 266. » *Het blijft, zoodra het dwang is om iets af te staan, of te doen, hoezeer in geld vergoed, eene belasting in natura.*"

2) *Art·* 131 *van het Besluit op het Hooger Onderwijs van* 2 *Aug.* 1815. » *Ingeval van inkwartiering, zal het den professoren altijd vergund zijn, zich van dien* last, *bij wijze van* afkoop, *door eene som gelds te bevrijden.*"

3) *Art.* 196. » *Geene privilegien kunnen in het stuk van*

At dicat quis: milites itinerantes et in loca venientes, ubi nullae adsint publicae mansiones, hospitiis tamen indigent, neque Principi adimi potest jus praesidia mutandi. Fateor; nec tamen art. 210 scriptura tribuit licentiam hospitii onus civibus invitis imponendi.

Omnino laudandam censemus cum sententiam, quam ea de re tulit clarissimus Thorbecke[1]), tum illam, quam secuti sunt judices Tribunalis, quod est Alcmariae: »*Overwegende, dat zoo deze geheele uitsluiting van inkwartiering thans voor minder gepast moet worden gehouden, daarin zal dienen te worden voorzien door overeenkomstig de bepalingen bij de Grondwet gemaakt, die grondwet zelve te veranderen, en dat, zoo lang zulks niet heeft plaats gehad, ook geene Reglementen, die inkwartiering en de schadeloosstelling daarvoor regelende, van eenige kracht of toepassing kunnen zijn.*" Quod

---

belastingen worden verleend." Vid. *Regtsgeleerde Adviezen.* I. I.

1) *Aanteekeningen*, 269. »*Oordeelt men, bij herziening der Grondwet, dat het niet mogelijk is, de ingezetenen voor het vervolg volstrekt te vrijwaren, en dat dus art.* 210 *moet worden veranderd, men beperke de gevallen, waarin men huisvesting van krijgsmanschap mag leveren, tot den uitersten nood,* wettig *te omschrijven.*"

si futura Lex Fundamentalis hospitii militaris, ut et praestationum militarium munus extra ordinem admittat, lege definiendi videntur deinde casus, quibus hospitio et praestationibus 1) illis locus sit. Omnino enim tempus pacis, a tempore belli distinguendum est, sive tempora ordinaria ab extraordinariis.

Tempore pacis constituta sint certa, 2) vel lege vel a potestate executrice, quae vocatur, praesidia, in quibus milites degant, ubi et publicae mansiones, si quae desint, erunt aedificandae,

---

1) Nimirum ad istas praestationes (réquisitions militaires) agriculturae et industriae perquam noxias, nonnisi in summa rerum inopia erit confugiendum. Cf. de hoc argumento *Observateur Belge*, voce *Réquisitions militaires.*

2) Cf. supra p. 108. Cf. et *Ontwerp van Constitutie voor het Bataafsche volk*, 1797, *Art.* 384. » *Er zijn in vredes tijd vaste guarnizoensplaatsen voor de Troupen van de Republiek, de Staatsraad maakt daartoe het plan, waarvan de approbatie staat aan het wetgevend Ligchaam.*" *Art.* 385: » *In tijd van vrede, doet de Staatsraad geen Troupen marcheeren, dan ingeval van nood, door het wetgevend Ligchaam erkend of op verzoek van eenig Administratief Bestuur in de Republiek, wanneer de publieke veiligheid gestoord of bedreigd mogt zijn. Het wetgevend Ligchaam kan het bepaalde in dit Articul, den dienst van den Lande dit vereischende, voor een tijd opheffen.*" *Staatsregeling van* 1798, *art.* 114. » *Het uitvoerend Bewind, bestemt, in tijd van vrede, vaste Guarnizoensplaatsen voor de Troepen van den Staat.*"

unde statis lege vel ab illa, quam diximus potestate, intervallis copiae in alia praesidia discedant, nec detrahi interea possint, nisi extrema poscente necessitate, occasione tumultuum, aut aliam ob causam, requirente auxilium magistratu, vel officiali. Nimirum in casu, ubi applicatio facienda erit art. Cod. Quaest. Crim. 40, 102, 372 et aliis, edicto Regio definitis[1]) Valet illa, quam commendamus, temporum distinctio in Wurtembergia, cujus Regni Lege Fundamentali imperatur, ut extraordinaria hospitii militaris et praestationum necessitas non a solo Rege, sed, consentientibus Regni Ordinibus, accurate circumscribatur; qua de re hoc loco memoranda videntur verba doctoris de jure publico egregie merito, clarissimi Mohl[2]): »*Hinsichtlich der Behausung und Verköstigung des Militairs ist zu unterscheiden zwischen dem gewöhnlichen Zustande und ausserordentlichen Verhältnissen.*

Im gewöhnlichen Zustande sind die sämmtlichen Unteroffiziere und Soldaten, *eben so eine*

---

1) Cf. *Besluit van* 31 *Jan.* 1824 *op het vragen en verleenen van militaire hulp en bijstand.* V. Hamelsveld, *Ned. Pandecten*, VII. 361 seq..

2) *Staatsrecht des Königreiches Württemberg.* Tübingen 1840. Editio altera. vol. II. p. 677.

bestimmte Anzahl von Offizieren beständig kasernirt; die übrigen Offiziere haben für ihre Wohnung auf eigene kosten zu sorgen. Die kasernirte Mannschaft erhält ausser den nöthigen Hausgeräthschaften noch Holz und Beleuchtung; eine eigene Kasernen-verwaltung hat für die Erhaltung und Erneuerung der Geräthschaften zu sorgen. Für die Kost der Mannschaft, vom Obermanne abwärts, besteht die sogenannte Menage, an welcher Jeder Antheil nehmen muss. In ausserordentlichen Umständen dagegen, somit ausnahmsweise, tritt die Verbindlichkeit der Staatsbürger ein, dem Militair Wohnung und Kost zu geben. Die Verf. Urk. schreibt vor, dass die ältere Bestimmung dieser Ausnahmsfälle im Wege der Gesetzgebung revidirt werden soll." 1)

Sed et lege definiendus erit modus satisfactionis pecuniariae, ob praestitum hospitium debitae. Modus ille non sit arbitrarius, nec beneficium dicatur, si quando illa erogatio largior sit pro difficultate victus praestandi. Exempla praebent edicta Regia 2 Dec. 1816, 10 Jan. 1817. 2)

---

1) Vid. ad hunc locum cl. Thorbecke, p. 270.

2) Stuart, *Jaarboek*, 1816. 2de Stuk. p. 301: » *Temporaire*

Quum apud nos ubique fere, magis minusve spatiosae exstent mansiones publicae in usum militum, non ita facile in Ordinum Generalium concilio movebitur quaestio, in Parlamento Anglico versus finem superioris seculi, magna animorum contentione 1) agitata, utrum publicis istiusmodi mansionibus, ingenti sumtu aedificandis, hospitis recipiendi munus praeferendum sit; quae quaestio Anglis arcte cum libertate publica cohaerere videbatur; nec enim, uti nostrates, habebant statos exercitus, et hospitio militari immunes esse consueverant. 2) At pro raro usu, qui, si certa aliquando apud nos militibus adsignata sint, nec nisi premente necessitate relinquenda praesidia, hospitii

---

verhooging der schadeloosstelling voor huisvesting en voeding van marcherende Troepen. (Bijv. tot het St. Bl. III. p. 913. (50 *cents per man en per dag.*) *Jaarboek*, 1817. p. 354 (1. *stuk*), 370. Edictum 18 Sept. 1817: »*dat na den 1sten October, niet meer dan de gewone indemniteit van 35 Cents zou worden betaald.*"

1) Cf. apud von Archenholz, *Annalen der Brittischen Geschichte des jahrs* 1793, X *Band*, p. 132 seqq. orationes quas habuerunt Taylor, Maitland, Pitt, Smith, Grey. »*Es heisst ferner: das durch Casernen die Soldaten gegen die Ansteckung von bösen Meinungen bewahrt werden. Hat aber die Erfahrung so vieler Jahrhunderte nicht überzeugend gelehrt, dass keine Mauern hoch genug sind, um Meinungen zurück zu halten?*" (Taylor.)

2) *Petition of Rights*, A. 1627. Hallam, *Histoire Constitutionelle d'Angleterre* II, 164.

militaris obtinebit, poterit forsan in communem civium utilitatem adhiberi exemplum instituti, quod in Anglia viget, secundum quod militum recipiendorum et alendorum munus non omnium ordinum civibus, verum cauponibus et stabulariis incumbit, quibus justa fit impensarum restitutio. Profecto neque apud nos deërunt, qui militibus hospitium ac victum lubentissime praebeant, si lege illis recte prospiciatur, et satisfiat. Certe neque in hac juris publici parte certitudo legum desiderari debet. Arbitraria enim et ambigua edicta captiones et cavillationes pariunt, 1) quibus cives defraudantur satisfactione sibi debita; quod malum, quo alio nomine, nisi denegatae justitiae appellabimus? Quamobrem laetamur, nuperrime 2) judicibus nostris jurisdicendi potestatem plenam et integram fuisse restitutam.

---

1) Cf. van Sonsbeeck, *Proeve over de zelfstandigheid en onafhankelijkheid der Regterlijke magt. Tweede stuk*, 1829 *p.* 158—161. *Conflicten in het stuk van requisitien.* Mr. C. Backer, *Verhandeling over het voorwerp van Regterlijke beslissing. Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving* 1828, p. 32 volg. Conferatur et *Staatsblad* 1836. 8 Febr. 1836. *Handhaving van een door den Gouverneur van Zeeland opgeworpen Conflict in eene procedure tusschen* D: Buyze, *en het Stedelijk Bestuur van Axel.*

2) *Koninklijk Besluit van* 20 *Mei* 1844, *Staatsblad*, no. 25.

THESES.

I.

Apertura et jus aperturae toto coelo differunt.

II.

Hospitium militare adversatur Art. 210 Legis Imperii.

III.

Tertio quoque die, in L. unica D. *de glande legenda*, ita intelligi debet, ut biduum integrum intercedat.

IV.

Pro judicato usucapi potest.

V.

Insignia gentilitia (*Familie-wapens*) jam Romanis nota fuerunt.

VI.

Mercium venditio non est res mercatoria.

VII.

Verba art. 321 Cod. Merc. » de aansprakelijkheid houdt op door den afstand van het schip," pertinent ad obligationes, cum ex delicto, tum etiam ex contractu.

VIII.

Commanditarius quod *dividendarum* nomine acceperit, restituere non debet.

IX.

Art. 2. Cod. Civ. ita intelligendum esse defen-

dimus, ut servus, libertate donatus postquam Belgii solum attigit, etiamsi in coloniam reversus sit, liber maneat.

X.

Qui apocham reperit, postquam idem debitum iterum ex judicis sententia solverat, indebitum condicere potest.

XI.

Damnatus ad poenam famosam, cui poena remissa est, in caussis criminalibus testis juratus esse potest.

XII.

Reo et in inquisitione criminali praevia advocatum dandum esse, defendimus.